



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,  
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

**Oviedo, Francisco de  
Lvgdvni, M.DC.LI.**

Svmmvlæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)





# INTRODVCTIO AD LOGICAM:

SEV BREVIS  
SVMMVLARVM SVMMMA.

P R O O E M I V M.



**V**ITIA valdè & omninò necessaria esse ea, quæ in Sum-  
mulis traduntur, nemo ibit inficias; dependet enim tota  
arguendi forma, & vsus Syllogistica structura, ex præce-  
ptis quæ in hac Introductione ad Dialecticam traduntur.  
Verumtamen in his omnibus explicationem potius adhi-  
bendam, quàm disputationem instituendam esse censeo:  
pleraque enim sunt omnino certa, fixisque regulis definita:  
quæ vix fallacibus argumentis possunt attrectari, tantùm abest vt efficacibus  
rationibus concuti possint. Huiusmodi sunt præcepta, quæ traduntur circa De-  
finitionem, & Diuisionem, & circa modos argumentandi, ex definitione, & di-  
uisione vtriusque; eiusmodi sunt etiam præcepta tradenda circa Oppositionem,  
Conuersionem, & Æquipollentiam propositionum; neque minùs fixa sunt præ-  
cepta circa dispositionem terminorum in Syllogismo, & circa huius reductio-  
nem per Ostemensionem, & per Impossible, & vix vna, vel altera quæstio alicuius  
momenti longâ disputatione digna reperitur. Ob hanc rationem omnia attingam  
quæ hîc alij tractant, illaque quâ potuero claritate explicabo, ab illisque  
me breuissimè expediam; sunt enim omnia non omittenda, & vix vnum  
latè disputandum.

## CONTROVERSIA PRIMA.

*De Natura & proprietatibus terminorum.*

PVNCTVM PRIMVM.

*Quid sit terminus.*

**T**ERMINVS non est, quænam sint comprehenden-  
da singularia sub ratione communi, quam in-  
tendimus definire: quidam enim affirmant  
copulam esse & omnes dictiones in propositio-  
ne positas, etiam voces significationis expertes termi-  
nos esse dicendas. Alij voces nihil significantes à ter-  
minorum ratione excludunt, & reliquas omnes admit-  
tunt: alij copulam esse terminum dici nolunt: alique tan-  
tùm subiectum, & prædicatum rationem termini parti-

*Franc. de Ouedo, Philosoph. Tom. I.*

cipare contendunt. Secundùm hos diuersos dicendi  
modos in diuersas auctores distrahuntur sententias circa  
termini definitionem, & illam quilibet architectatur,  
quæ rectè quadret vocibus illis, quas ratione termini  
gaudere defendit. Ego in hac re nihil inuenio, quod  
quæstionem de nomine transiliat, neque principia repe-  
rio apud auctores, quibus aliquid certò possit definiti,  
qui enim asserunt dictiones omnes terminos dici, id sua-  
dent, quia nomen *terminus* apud Dialecticos idem sonat  
quod apud Grammaticos dictio, & quia notitia omnium  
elementorum cuiusque facultatis, & instrumentorum,  
quibus ipsa vitur terminorum notitiam appellamus. Illi  
verò, qui affirmant tantùm subiectum, & prædicatum  
terminos esse dicenda, id sibi persvadent, quia *terminus*

A

rei



rei est id, quo res terminatur, quod est idem ac extremum rei, copula autem non dicitur extremum, sed extremorum connexio.

Vtriusque sententiae ratio potuit inducere significationem huius vocis *terminus* secundum quamlibet ex praedictis acceptionibus; secundum quam verò sit accipienda non possum ex auctoribus colligere, aequali enim auctoritatis pondere omnium ferè sententias intueor. Ob hanc rationem ex Aristotele mihi definitionem termini desumam, ex qua inferam secundum quam acceptionem hæc vox *terminus* sit accipienda, terminique propriam essentiam explicabo. Philosophus 1. lib. priorum cap. 1. terminum ita definiuit: *Terminum voco in quem resolutur propositio, ut prædicatum, & de quo prædicatur, appositio vel separatio esse vel non esse*, quibus verbis non solum termini definitionem tradidit, verum etiam illam explicuit. Definio termini his clauditur, *in quem resolutur propositio*. Pro cuius explicatione perpendendum est, in illa quodlibet totum resolui, ex quibus componitur: sicuti homo compositus ex corpore, & anima, in corpus, & animam resolutur, cum definit esse; & domus ex calce, lateribus, & lignis constructa in hac tanquam in prima elementa resolutur, cum illius deperditur constructio. Id ergo ex Aristotele terminus erit propositio, ex quo componitur propositio, & eam illa, quibus componitur, ipsius partes sint, partes propositionis erunt illius termini, idemque erit propositio pars, & terminus propositionis.

Ex hoc infero copulam *est* terminum non esse, quia copula non est pars propositionis, sed nexus partium, sicuti visio materiae, & formæ non dicitur pars totius naturalis, sed partium nexus. Id fradet explicatio definitionis ab ipso Aristotele tradita per illa verba, *ut prædicatum, & de quo prædicatur*, quibus exemplum adduxit termini, quem definierat in subiecto, & prædicato, id enim de quo aliquid prædicatur, aut dicitur, propositio est subiectum; & id, quod de alio dicitur, Prædicatum appellatur. Per vltima verba *appositio vel separatio esse, vel non esse*, significauit Aristoteles propositionem, cuius subiectum, & prædicatum termini dicuntur, posse esse affirmatiuam, in qua apponitur esse rei, quæ affirmatur, & separatur non esse eiusdem; vel negatiuam in qua apponitur non esse rei, quæ negatur, & separatur eiusdem esse.

Infero similiter voces nihil significantes posse esse terminos, quia possunt esse partes propositionis, illiusque subiectum, & prædicatum, in quæ propositio resoluitur, ut patet in hac propositione: *Blitiri est vox*, quæ est vera propositio constans duplici extremo, quorum vnum *Blitiri* est subiectum, & alterum *vox* est prædicatum, & vtrumque extremum propositionis, illiusque pars, ac proinde terminus. Nec refert *Blitiri* in hac propositione materialiter sumi, & nihil extra se significare, quia id, quod materialiter sumitur pro se ipso, potest sic materialiter sumptum, termini denominationem subire; & terminus non constituitur formaliter talis per hoc, quod est significare, sed per hoc quod est esse partem propositionis, seu id in quod propositio resolutur. Addo *Blitiri*, & quamlibet aliam vocem ex se nihil significantem appositam in propositione aliis vocibus cum quibus propositionem constituat, significatione non carere, sed quasi reflexè se ipsam significare, sicuti cognitio, quæ se ipsam representat, etiam si nullum aliud habeat obiectum, non diceretur nihil representare, sed se ipsam exprimere, & tanquam obiectum respicere.

Quod autem *Blitiri* in prædicta propositione positum se ipsum reflexè significet eadem proprietate, quæ vox *homo* in quacumque propositione posita significat animal rationale, sic proba. Eatenus voces significant res, quatenus substituuntur loco conceptuum, qui naturaliter easdem res representant. Sed hæc vocalis propositio *Blitiri est vox*, substituitur loco conceptus, seu iudicii interni: ergo hæc vox *Blitiri* substituitur in prædicta propositione vocali, loco conceptus mentalis, quo ex vi iudicii interni illam cognosco tanquam subiectum propositionis: ergo se ipsam significat medio conceptu interno illam representante, loco cuius substituitur. Confirmatur: ideo in hac propositione vocali *homo currit*, vox *homo* significat animal rationale, quia substituitur loco conceptus inclusi in iudicio interno representantis animal rationale. Sed in hac propositione vocali *Blitiri est vox*, *Blitiri* substituitur loco conceptus interni inclusi in iudicio interno re-

presentantis ipsam vocem: ergo eadem ratione, quæ vox *homo* in illa propositione significat animal rationale, vox *Blitiri* in propositione ista significat se ipsam.

Neque ex hoc inferri eandem vocem *Blitiri* extra propositionem se ipsam significare, quia quoties quis profert vocem, cui homines significatum non dedere, non intendit illam substituere loco conceptus, ex vi cuius illam cognoscit: quando verò illam profert in hac propositione *Blitiri est vox*, aut in alia simili, intendit voces substituere loco iudicii interni, in quibus vox *Blitiri* respondet parti iudicii representanti ipsam vocem, si iudicium diuisibile est, vel toti iudicio quatenus talem vocem representat.

Reliquæ partes propositionis, demptâ copulâ *est*, vel sunt termini, vel affectiones terminorum, quæ se habent ex parte subiecti, aut prædicati; relatiua enim per modum vnius se habent cum illo, quod referunt, sicuti in hac propositione *Petrus qui loquitur est doctus*, relatiuum *qui* se habet per modum vnius cum Petro, & subiectum propositionis efficit, est enim idem dicere *Petrus qui loquitur*, ac dicere *Petrus loquens*; & sicut in hac propositione *Petrus loquens est doctus*, illud *loquens* simul cum substantiuo *Petrus* constituit vnum subiectum, sic in hac propositione *Petrus qui loquitur est doctus*, illud *qui loquitur* simul cum nomine *Petrus* vnum subiectum efficit. Casus obliqui semper se tenent ex parte subiecti, aut ex parte prædicati, sicuti in hac propositione *Rex Hispanie viuit*; illud *Hispanie* se tenet ex parte subiecti *Rex*, est enim idem dicere *Rex Hispanie*, ac *Rex Hispanus*; & in hac propositione *ego video Petrum*, quæ in hanc resolutur *ego sum videns Petrum*, illud *Petrum* simul cum *videns* constituit vnum prædicatum, quia in illa propositione non quæcumque visio mihi conuenire dicitur, sed visio terminata ad Petrum, quæ explicatur per illud obliquum *Petrum*. Aduerbia affectiones sunt prædicatorum, cum enim dicimus *Petrus currit velociter*, illud *velociter* significat modum cursum, qui Petro conuenire dicitur, idem enim est dicere *currit velociter*, ac dicere *Petrus currit cursu veloci*. Coniunctiones aliquando coniungunt partes subiecti & prædicati, & tunc se se habent ex parte illius extremi tanquam visio annexens illius partes illudque constituens, sicuti in hac propositione *Petrus & Ioannes sunt duo*, in qua coniunctum hoc *Petrus & Ioannes* indiuisibiliter sumptum constituit vnum subiectum; aliquando coniungunt propositiones, & tunc neque sunt subiectum, aut prædicatum, neque illorum affectiones, ut cum dicimus *Petrus loquitur, & Ioannes ambulat*, coniunctio *&*, neque pertinet ad subiectum, neque ad prædicatum prioris, aut posterioris propositionis. Præpositiones se habent ex parte casus obliqui quem regunt, sicut in hac propositione *Petrus est amatus à Deo*, præpositio *à*, se tenet ex parte obliqui *Deo*, non tamen sunt affectiones rei significatæ, neque per se aliquid significant, & improprie vel nullo modo ad subiectum, vel prædicatum pertinent. Participia sicuti alia quæcumque nomina subiectum, aut prædicatum dicuntur, dicimus enim *Petrus est amans*, in qua propositione participium *amans* prædicati rationem habet. Pronomina loco nominum substituantur, eademque ratione ac ipsa nomina subiecti, aut prædicati vices gerunt. Interiectiones propositionis partes non sunt neque ad aliquid affirmandum, vel negandum deferuntur, & ita rationem termini habere nequeunt.

Demum affirmo non ineptè ab aliquibus terminum definiri *extremum propositionis*, quia terminus idem sonat, ac extremum, & quia terminus conuertitur cum subiecto, & prædicato; & omne subiectum, & prædicatum, nihilque ab illo distinctum, aut non se habens per modum vnius cum ipso, rationem termini habet. Neque ad rem est puerilis obiectio, quæ adduci solet, videlicet in hac propositione *homo animal est*, copulam esse vltimum propositionis, ac proinde illius extremum, & consequenter terminum eiusdem; quia illud extremum non intelligendum est positione locali, in propositione enim mentali non est positio localis cum ordine prioris, & posterioris, sed officio, quæ ratione *animal* est extremum huius propositionis *homo animal est*, quæ eundem sensum reddit ac ista: *homo est animal*.

Obiicies primò: non rectè definiri terminum per propositionem, quia definitur ignotum per ignotius; ignotior enim est propositio, quam terminus. Respondeo, ad definitionem



definitionem termini, huiusque notitiam quidditativam non requiri notitiam quidditativam propositionis, sed confusam sufficere, quæ facilius potest acquiri, quam notitia termini quidditativa, sufficienter enim poterit quis terminum quidditativè cognoscere, si sciat propositionem esse orationem, quæ dicta possumus proferenti respondere, verum dicis, aut falsum dicis. Ex quo respondeo non definiri terminum per aliquid ignotius, quia notior est propositio cognitione confusa, quam terminus cognitione quidditativa, licet ignotior sit propositio cognitione quidditativa, quam terminus; quod nihil refert, quia terminus non definitur per propositionem quidditativè, sed tantum confusè cognoscendam.

Ultimò adverte ad cognoscendum prædicatum cuiusvis propositionis, quasdam dici propositiones de *tertio adiacente*, in quibus prædicatum extra copulam exprimitur, sicut in hac propositione *Petrus est albus*, in qua *albus* est illius prædicatum, alias dici de *secundo adiacente*, in quibus prædicatum intra copulam continetur ratione Participij inclusi, sicut in hac propositione *Petrus est*, in qua prædicatum est Participium inclusum in copula, idem enim est dicere *Petrus est*, ac dicere *Petrus est ens*, & idem sonat *Petrus currit*, ac *Petrus est currens*.

Obiicies secundo: Definitio termini assignata convenit propositioni, ergo non est bona cum aliis à definito conveniat. Probatur Antecedens si resolvatur hac propositio *Petrus est albus* est propositio, alterum extremum in quod resolutio fiet, erit tota hac propositio *Petrus est albus*: ergo illi convenit definitio termini. Respondeo prædictam resolutionem tanquam in extremum in hoc complexum *Petrus est albus* non fieri formaliter quatenus est propositio affirmans Petrum esse album, sed quatenus est extremum componens propositionem illam, quæ in illud resolvitur. Ita definitio termini potest convenire propositioni non formaliter, quatenus est propositio, sed quatenus illi accidit esse extremum componens aliam propositionem à se distinctam.

Obiicies tertio: Eodè modo resolvitur propositio in copulam *est*, ac in subiectum, & prædicatum: ergo copula *est* habet rationem termini. Antecedens probatur: resoluta hac propositione *Petrus est albus*, Petrus non manet subiectum propositionis actus, sed tantum in potentia idem dicto de altero extremo. Sed copula *est* etiam manet in potentia, quia iterum copula adhibita potest dici *Petrus est albus*: ergo eodem modo resolvitur propositio in copulam ac in extrema. Respondent nonnulli facta resolutione propositionis, extrema, & copulam eodem modo in potentia permanere, & in ipsa fieri resolutionem, non tamen copulam esse terminum, quia non in illam tanquam in partem propositionis resolvitur, sed tanquam in partium nexum. Terminum autem non esse id, in quod quomodocumque propositio resolvitur, sed in quod resolvitur propositio tanquam in partem, ob idque dixisse Aristotelem *terminum voco, in quem resolvitur propositio ut prædicatum, & de quo prædicatur*. Cæterum Philosophus prædictis verbis, ut prædicatum, & de quo prædicatur, non intendit assignare specialia elementa resolutionis, quæ præ alijs, in quæ fiat resolutio, habeant rationem termini, sed exemplum adducere termini, quem definierat præcedentibus verbis in subiecto & prædicato, quæ sunt adequata elementa, in quæ resolutio fit. Respondeo ergo, resoluta hac propositione *Petrus est albus* conceptum *Petrus* actu non esse subiectum, tamen secundum se actu permanere, quia rectè concipitur Petrus extra propositionem; copulam verò actu non permanere, neque adhuc secundum se, quia conceptus copulæ nunquam potest reperiri, nisi cum actuali copulæ exercitio actu annexens extrema, & propositionem constituens. Aptum habes exemplum in resolutione hominis, quæ facta, materia & forma, est actu non maneat partes compositi, tamen manent quoad entitatem, vñio verò omnino desinit esse, nullò modo manet, & ita rectè dicitur hominem resolui in materiam, & formam, non tamen dici potest resolui vñionem.

PUNCTVM SECVNDVM.

¶ Nonnulla divisiones terminorum.

Vñio dividitur terminus in Mentalem, Vocalem, & Scriptum, iuxta triplicem propositionem mentalem, *Fauc. de Oniedo, Philosoph. Tom. I.*

vocalem, & scriptum. Propositio *mentalis* est interna enunciatio vñio de alio, seu internum iudicium, quo indico hoc esse illud. *Vocalis* propositio sunt voces, quæ substituantur loco mentalis propositionis: & *scripta* propositio dicitur scriptura quæ eandem propositionem mentalem notam facimus. Iuxta hæc terminus vocalis appellabitur extremum vocalis propositionis, & terminus scriptus dicitur extremum propositionis scriptæ, terminusque propositionis mentalis erit extremum propositionis mentalis. Cæterum cum voces & scriptura propriè non sint enunciationes, seu propositiones, sed propositionum substituta, quod adhuc ex se non habent, sed ex libera hominum impositione, illorum extrema propriè termini non sunt, sed impropiè & extrinsecè desumpta de nominatione à terminis propositionis mentalis, loco quorum ex libera hominum impositione substituantur.

Extrema mentalis propositionis propriè terminos appellat communis sententia, quod apud me difficultate non vacat, quam iam aperio. Terminus propositionis est subiectum de quo aliquid dicitur, & prædicatum, quod dicitur de alio: sed in propositione mentali, quæ propriè est formalis propositio, nihil est quod de alio dicatur, quia in conceptu interno respondente his vocibus *Petrus est animal*, non est vna pars, quæ de alia prædicetur, quia interna propositio partes non habet, sed est simplex qualitas, ut ostendam Controuersi. 5. de anima, Punct. 2. & etiam si plures partes haberet, vna de alia non prædicetur, cum inter se essent distinctæ, neque ipsa propositio de se ipsa enunciat, sed tantum est enunciatio obiecti, in quo reperitur subiectum, de quo dicitur prædicatum; & prædicatum, quod de subiecto dicitur: Ergo propositio mentalis secundum se non includit intrinsecè subiectum, & prædicatum, sed ad hæc terminatur: ergo secundum se & intrinsecè non habet terminos. Duplex propositio distinguenda est, *formalis*, quæ propriè & strictè loquendo tantum est propositio obiectiva, quæ non est propriè, & rigorosè propositio, sed obiectum propositionis, & constituitur in esse propositionis obiectivæ tanquam per formam extrinsecam per propositionem formalem. Ex his propositio obiectiva in se continet subiectum & prædicatum constituta in esse talium per propositionem formalem, & ob hanc rationem existimo in se includere extrema, quæ propriè termini dicuntur, & terminos includere licet formaliter constitutos in ratione terminorum, sicuti in ratione subiecti, & prædicati per formalem propositionem. Itaque cum ego dico *Petrus est albus*, interna & formalis propositio in se non continet subiectum, & prædicatum, neque terminos, sed obiectiva, quæ dicit intrinsecè & in se Petrum extrinsecè constitutum in ratione subiecti, & in ratione termini per propositionem mentalem; & album, seu eundem Petrum quatenus album eodem modo extrinsecè constitutum per eandem formalem propositionem in ratione prædicati.

Difficilius explicatu est, an copula non tantum constituitur per propositionem formalem, tanquam per formam, sicuti constituitur subiectum, & prædicatum tenentia se ex parte obiecti, ex parte cuius copula etiam se teneat, sed an formaliter sit ipsa mentalis propositio, vel in illa formaliter includatur. Censeo ego propositionem ipsam formalem, non esse formam extrinsecam constituentem copulam se tenentem ex parte obiecti, sed esse ipsam formalem copulam annexentem intentionaliter & extrinsecè in ordine ad nostrum intellectum subiectum, & prædicatum, in quibus tantum reperitur nexus intentionalis, quem habent ratione enunciationis, cum physice sint eadem entitas, quæ secum ipsa nullam vñionem habet, sed est simplex entitas, eadem se cum non per identitatem superadditam, sed per se ipsam. Confirmatur eadem doctrina: Propositio formalis est forma constituens obiectum, quod respicit in ratione subiecti, & prædicati: ergo est formalis copula illorum. Probò consequentiam: Subiectum formaliter constituitur in ratione subiecti, & prædicatum in ratione prædicati per illud, ex vi cuius annexuntur tanquam duo extrema; sed annexuntur per copulam: ergo constituantur in ratione subiecti, & prædicati per copulam. Sed propositio mentalis est id, per quod annexuntur: Ergo propositio mentalis est illorum formalis copula.

Nota insuper propositionem mentalem, vocalem, & scriptam.



scriptam habere idem subiectum, quod respiciunt tanquam obiectum, & potest dici propositio mentalis obiectiua in ordine ad propositionem formalem mentalem; & vocalis obiectiua in ordine ad propositionem vocalem; & obiectiua propositio scripta in ordine ad propositionem scriptam, similique modo dici habere terminos constitutos formaliter per propositiones illas, quarum sunt obiecta: Nihilominus tantum posse dici illud obiectum habere proprie terminos in ordine ad propositionem mentalem, quia hac tantum simpliciter est propositio, eademque ratione propositio terminos constituit, quia ipsa rationem propositionis participat.

4 Forma constituens terminum mentalem semper est significatiua, quia est cognitio, quae essentialiter est representatio obiecti, & per se ipsam illud exprimit, sicuti imago proprium obiectum. Forma constitutiua termini vocalis, quae est vox, non semper significatiua est, quia cum voces non habeant ex se significare obiectum (idem dicto de scripturis) sed ex libera hominum impositione, eo ipso quod homines impetiti non sint significationem aliquam huic voci, omnino illa carebit. Ob hanc rationem terminus vocalis diuiditur in *significatiuum*, & *non significatiuum*. De natura signi dicam Controuers. 8. Logica, modo tamen illa attingam, quae praecise ad rem explicandam sufficiunt. Signum est quod ordinatur ad aliquid representandum potentiae cognoscituae. Hoc est duplex, vnum *formale*, quod per se ipsum representat obiectum potentiae: aliud *instrumentale*, quod excitat representationem, seu cognitionem obiecti, quae representatio, seu cognitio est signum formale. Signum instrumentale de quo modo agimus duplex est: vnum *naturale*, aliud *ad placitum*. Signum naturale, quod ex natura sua independenter à libera hominum voluntate facit deuenire in cognitionem rei significatae, exemplum vulgo adducitur in fumo, qui nos ducit in cognitionem ignis, & in vestigio animalis, quo ducimur ad cognoscendum animal, à quo fuit impressum. Signum ad placitum est illud, quod supposita hominum conuentione, & non ex sua natura nos ducit in cognitionem rei representatae, sicuti haec vox *homo* nos ducit in cognitionem animalis rationalis, quia placuit hominibus hac voce animal rationale significari, qui eandem ad significandum lignum, vel lapidem potuerunt designare. Vtrumque signum tam in rebus, quam in vocibus reperitur, signum enim naturale reperitur in suspirio, quod signum est tristitiae, & in fumo, aut vestigio animalis. Quae vero sint signa propria, & quae impropria, definiam in Logica. Controuers. 8. Punct. 2. Signum ad placitum reperitur frequenter in vocibus, & in campanae sono, qui significat diuina officia esse celebranda, vel lectionem esse legendam.

His signis ad placitum duplex conceptus correspondet; quidam *ultimatus*, alius *non ultimatus*. Conceptus non ultimatus est cognitio ipsius signi secundum se nudè sumpti. Conceptus ultimatus est conceptus rei significatae per tale signum. Exempli gratia, audio ego Petrum proferentem hanc vocem *homo*, concipio vocem secundum se, haec conceptio conceptus non ultimatus dicitur; concipio insuper animal rationale, ad quod significandum vox haec est imposita, hic conceptus ultimatus dicitur.

### PUNCTUM III.

#### Alia terminorum diuisiones.

1 Terminus mentalis diuiditur in *absolutum* & *connotatiuum*, quia diuisione absolutum non opponitur relationi, sed connotatiuum, cuius essentiam paucis explio. Connotare est simul cum isto aliud notare, cum quo vnus perfectus terminus constituatur. Vnde terminus connotatiuus erit ille qui rem significat per modum alteri adiacentis, nam illud, cui res adiacens significatur connotatum est proprii significati. Terminus absolutus est ille, qui rem significat per modum per se stantis, & non per modum alteri adiacentis, quod enim per se stans significatur, non connotat aliud, cum quo vnus perfectus terminus efficiatur, nomina enim relatiua sicuti *Pater* & *Dominus*, etsi connotent terminum, ad quem referuntur, non cum illo vnum terminum, seu vnum perfectum propositionis extremum constituunt, nomen enim *Pater* per se solum in hac propositione *Pater est generans*, & in aliis similibus, termini com-

pleti, & adequati perfectam rationem habet. Ex hoc inferitur omne nomen adiectiuum connotatiuum esse, quia significatur per modum alteri adiacentis, cum quo vnus perfectus terminus efficitur, & nomen substantiuum esse absolutum, quia rem significat per modum per se stantis.

2 Alio modo terminus diuiditur in *Categorematicum*, & *Synecategorematicum*. Terminus Categorematicus est terminus absolute significatiuus, qui in se categorema seu significationem habet, sicuti *homo*, & *leo*, qui independenter ab alio adiuncto vices termini in propositione habent. Terminus syncategorematicus est terminus consignificatiuus, qui per se solum non habet significationem, nisi valde imperfectam, tamen adiunctus alteri nouam constituit significationem distinctam ab illa, quam haberet sine eo, illud cui adiungitur. Hac ratione ferè omnes vtrumque terminum definiunt, secundum quam in omnium sententia hi termini *omnis*, *nullus*, *aliquis*, *neuter*, *utrumque*, & si qui sunt alij his similes, termini syncategorematici dicuntur; hi verò *homo*, *leo*, & reliqui nomine substantiuo significati, Categorematici omnium plausu dicuntur. Eandem rationem termini categorematici Summulistae omnes impetiti fuerant nominibus adiectiuis, sicut *album*, & *nigrum*: Hurtado verò *disp. 1. sect. 10.* affirmat haec nomina terminos syncategorematicos esse dicenda, quia seiuinctis nominibus substantiuis perfectam significationem non habent, cum enim quis audit *album* adiectiuè significatum, statim dubitat, quòdnam subiectum sit *album*, lignum, lapis, aut paries, & sic de reliquis adiectiuis.

3 Arriaga *disp. 1. sect. 4.* affirmat haec nomina adiectiua partim esse categorematica, partim syncategorematica. Syncategorematica ob rationem, quam adducit Hurtado; categorematica, quia saltem ex parte subiecti possunt per se ipsa poni, quod non conuenit nominibus *omnis*, *aliquis*, *nullus*; dicimus enim *homo est albus*, & non dicimus *homo est omnis*, seu *homo est aliquis*. Displicet haec ratio, quia cum dicimus *homo est albus*, ex parte praedicati subintelligitur idem substantiuum, quod se tenet ex parte subiecti, idem enim est, *homo est albus*, ac dicere *homo est homo albus*. Deinde alij termini, qui apud omnes syncategorematici dicuntur, eadem ratione possunt poni ex parte praedicati: possumus enim dicere, *Petrus est aliquis*, quod si non dicamus, *Petrus est omnis*, seu *Petrus est nullus*, non ideo est, quia positi praedicti termini ex parte praedicati propositiones non conficerent, sed quia conficerent propositiones falsas, sicuti non dicimus *Petrus est infinitus*, *Ioannes est immensus*, aut *Franciscus est omnipotens*, non quia praedictae enunciationes, propositiones non essent, sed quia essent propositiones falsae.

4 Aliud caput inuenio ex quo longe differunt reliqua nomina adiectiua ab illis signis *omnis*, *nullus*, *aliquis*; reliqua enim adiectiua significant formam absolutam realem, vt plurimum realiter distinctam à subiecto, cui adiungitur, sic *album* dicit albedinem; & *calidum* calorem, quae sunt accidentia physica, & realia; illa verò nomina *omnis*, *nullus*, &c. nullum accedens physicum important, quod adueniat subiecto, & se habeat tanquam forma ipsius concreti *omnis*, *nullus*, aut *aliquis*: si enim ab hoc concreto *aliquis*, velis formam abstrahere, sicuti potes abstrahere albedinem ab albo, nullam perfectò inuenies, neque illam repeties in his concretis *omnis*, *nullus*, *alter*, & *neuter*; quod si fortan aliquam vniuersalitatem, vel vniuersalitatis negationem mediteris, haec non erit quid physicum intentionali oppositum, distinctum saltem formaliter à subiectis, seu substantiis affectis praedictis signis.

5 Ob hanc formae significationem nomina adiectiua à praedictis signis distincta terminos categorematicos appellarem, neque huic denominationi obesse dicerem connotationem substantiuorum, quam habent, per quam connotatiua, & non syncategorematica constituuntur: aliàs connotatiuum, & syncategorematicum non distingueretur. Si verò contendas propter praedictam connotationem haec nomina absolute non esse dicenda categorematica, dummodò concedas differentiam à me assignatam, quam haud facile poteris negare, à communi sententia, in quaestione de nomine discedes, in qua nullus, qui nolit, conuinci poterit.

6 Aduerbia sicuti, *bene*, & *male* terminos esse mixtos inter



inter categorematicos, & syncategorematicos nonnulli defendunt. Ego aliter sentio, dixi enim punct. 1. per se terminos non esse, sed per modum vnus cum extremo, quod efficiunt, vnum terminum constituit, sicuti in hac propositione *Petrus est currens velociter* & integer terminus categorematicus. Itaque aduerbia, sicuti per se non sunt termini, per se non sunt categorematica, sed eandem rationem subibunt, quam habuerit extremum cui adiunguntur, & cum quo efficiunt vnum terminum adequatum, qui semper categorematicus erit.

7 Alia termini diuisio est in *abstractum* & *concretum*. Concretus terminus dicitur, qui re vel ratione dicitur compositus ex materia, & forma, seu ex natura, & substantia; sic homo, & album termini concreti dicuntur, quia hoc componitur ex subiecto, & albedine, & ille ex natura, & substantia. Dixi concretum re, vel ratione componi, quia persona diuina est concretum importans naturam diuinam, & substantiam absque vlla reali distinctione ipsarum, in quibus nulla compositio intercedit. Terminus abstractus est, qui rem omnino simplicem significat, seu carentem compositione, quia constituit concretum sicuti materia anima, aliisque huiusmodi termini.

8 Iterum diuiditur terminus in terminum *complexum*, & *incomplexum*. Terminus complexus definitur à nostro Toletio, quem plures sequuntur, *cuius partes per se sunt significantiæ*, vt homo iustus. Eadem ratione terminus incomplexus definitur, *cuius partes separate non sunt significantiæ eadem significatione, quam antea habebant*: Additur hæc vltima definitionis particula, vt nomen *Domini* excludatur à ratione termini complexi, cuius partes de videlicet, & minus separatæ significant, non tamen eadem significatione, quam habebant intra compositionem. Non omnino placet hæc definitio, quia in hac propositione *Blitiri, & Sindapsus sunt voces*, complexum illud *Blitiri, & Sindapsus* est terminus complexus, & tamen illius partes separatæ nihil significant. Similiter in hac propositione *Blitiri prolatum est obiectum auditus*, complexum illud *Blitiri prolatum* est terminus complexus, cuius altera pars separata, videlicet *Blitiri*, nihil significat. Melius definitur terminus complexus si dicatur: Terminus complexus est ille, qui includit intrinsecè, & in se compositionem grammaticalem. Hanc compositionem reperies in omnibus terminis complexis, cum enim dicimus *homo albus*, compositio fit per concordantiam substantiui, & adiectiui: similis compositio reperitur in hoc complexo *Blitiri prolatum*: item si terminus sit complexum istud *Blitiri, & Sindapsus*, compositionem habet ratione coniunctionis, &c.

9 Obicitur contra hanc doctrinam, nomen *proconsul*, & verbum *circumfero*, quæ sunt termini incomplexi & compositi ex præpositione *pro*, & nomen *consul*, & ex præpositione *circum* & verbo *fero*. Consulto apposui in definitione termini complexi particulas illas *intrinsecè*, & *in se* ne his terminis definitio conueniret, qui neque intrinsecam, neque in se compositionem habent, sed tantum extrinsecam, quod sic ostendo. Ad hoc vt fit intrinsecam compositio debent esse in toto composito partes, quæ adhuc dum componunt se habeant, vt inter se condistinctas, & vnitas vel per se, vel medio alio, sicuti se habent materia, & forma in composito naturali, & homo, & albus in hoc complexo *homo albus*, in quo duas reperiit dictiones vt inter se condistinctas negabit nullus; in hoc verò nomine *Proconsul* (idem dico de verbo *circumfero*) *pro*, & *consul* non se habent tanquam duas dictiones, sed quæ extra compositionem fuerant duæ, in compositione quasi confunduntur, & in vnum conflunt, & per modum vnus profertur. *Proconsul* enim non est nomen cum præpositione ab illo distincta coniunctum, aliàs præpositio casum nominis regeret, sed simplex quoddam nomen, cuius syllabæ ante compositionem nomen, & præpositionem conficiebant, & ob hanc rationem dicitur extrinsecè habere partes, quia potest resolui in illa, quæ extra composita erunt distincta, & vt talia appareant, licet intra compositum per modum vnus appareant, quod impedit intrinsecam compositionem. Hac ratione explicabo Controu. 6. Logice, compositionem speciei ex genere & differentia. Hæc sufficiant in re parui momenti, quam latis inuitus tracto.

10 Alio modo diuiditur terminus in terminum *infinite*

*tem*, & *non infinite*. Terminus infinitus est ille, qui præpositâ negatione negat id, quod exprimit, & potest se extendere ad omnia ab isto distincta, sicuti *non lapis*, qui dici potest de omnibus à lapide distinctis, homo enim est non lapis; Angelus est non lapis, & Deus est non lapis, hoc est aliquid distinctum à lapide. Hi termini non efficiunt propositionem negatiuam, quia negatio non cadit supra copulam, sed tantum supra id, quod exprimit terminus, cui adiungitur, & ideo dicitur negatio infinitans, & non negans. Terminus non infinitans est ille, cui prædicta negatio non præponitur, & pro illo supponitur, quod exprimit, sicuti *homo*, *leo*, *equus*, &c.

Rursus terminus diuiditur in *copulatiuum*, seu *collectiuium*, & *non copulatiuum*, seu *non collectiuium*. Terminus copulatiuus est, qui significat plura absque vlla physica vnione in recto componentia, sicuti exercitus & populus, qui ex distinctis hominibus, & ex diuersis rebus componuntur. Additur illud *in recto* vt excludantur hæc concreta *armatum*, & *vestitum*, quæ significant plura absque vlla physica vnione, sed vnum in recto, alterum in obliquo. Terminus copulatiuus est, quinon significat simile plurium aggregatum, sicuti *homo, & equus*.

Iterum termini quidam dicuntur *pertinentes*, alij *impertinentes*, hi sunt neque oppositionem habent, neque se consequentiâ inferunt, sicuti album, & calidum. Pertinentes sunt in duplici differentia: quidam pertinentes seque, sicuti rationale, & homo, qui se mutuo inferunt; homo & animal, quorum prior posteriorem infert. Alij pertinentes repugnantia, qui inter se oppositionem habent, sicuti calidum & frigidum, in quibus est oppositio contraria.

Deinde terminus diuiditur in *vnivocum*, *æquiuocum*, & *analogum*. Vniuocum est cuius nomen est commune, & ratio significata omnino eadem. Sicuti *homo* respectu Petri, & Ioannis, &c. quibus nomen commune est, & ratio significata omnino eadem, seu omnino similis. Analogus terminus dicitur, cuius uomen est commune, ratio verò significata, neque omnino eadem, neque omnino diuersa. Sicuti *canis* respectu latrabilis, & celestis, quibus idem nomen est commune, & ratio significata non omnino eadem, quia *canis* latrabilis simpliciter est canis; & *canis* celestis tantum secundum quid per similitudinem ad latrabilem: neque omnino diuersa, cum per similitudinem ad latrabilem, celestis nomen canis fuerit impositum. *Æquiuocum* est, cuius nomen est commune, ratio verò significata omnino diuersa, sicuti nomen *gallus*, quod commune est gallo gallinaceo, & homini natione Gallo; ratio verò significata in vtroque omnino diuersa absque vlla similitudine, aut proportionem vnus ad aliud. Multa de his terminis alibi alibi sunt dicenda, quæ importunè, & intemptiue scriberentur; me vide Controu. 1. Metaphysic. vbi de his plura exagito.

Adhuc iterum subdividitur terminus in *transcendentem*, & *non transcendentem*. Terminus transcendens est ille, à quo non possunt præscindi inferiores differentie, in quibus imbibitur. Huiusmodi est in multorum sententia ratio accidentis, & substantie incompletæ, quam reperiit affirmant in vltimis differentiis cuiuscumque accidentis, & substantie. Terminus non transcendens est ille, cuius formalis ratio non imbibitur in inferioribus differentiis, sicuti animal. quod formaliter includitur in rationali, potest enim hoc sine illo percipi. Ex transcendentibus, quædam sunt vniuersalissima, quæ per omnium rerum genera vagantur, & vulgo dictione hæc demonstrantur *R E V B A V*, cuius singulæ litteræ respondent singulis illorum initialibus, sunt enim *res, ens, verum, bonum, aliquid, vnum*, quæ omnia conueniunt cuiusque entitati assignabili. De his quæ ad transcendentiam, & ad terminos transcendentis attinet disputo Controu. 1. Metaphysic. Punct. 4. & 7. vbi me vide, hic enim ad rem non esset latius expendere.

Omitto aliam diuisionem termini in *communem*, *particularem*, & *singularem*, de qua dicam Controuers. 3. Punct. 3. vbi de quantitate propositionis.



## PUNCTUM IV

## De suppositione terminorum.

1 Inter omnes terminorum proprietates præcipua est Suppositio, quam definiuit Toletus lib. 2. capit. 1. *usus terminij pro se, vel pro suo significato*, & Fonseca lib. 8. Instit. Dialect. cap. 20. *acceptio nominis pro re, quam significat*. Vtramque definitionem intendit reicere Arriaga ex eo quod voces non supponantur pro rebus (id est, non ponantur loco rerum, supponi enim est poni loco alijs) sed loco conceptuum, eo enim quod non videamus aliorum conceptus, loco illorum voces substituimus. Existimat ergo suppositionem esse definiendam, *Positionem vocis loco conceptus ad ipsum conceptum manifestandū*. Voces subrogari loco conceptuum non inficior, utimur enim vocibus vt id præstent, quod conceptus interni præstarent, si in se ipsis agnoscerentur; verumtamen falsò ait Arriaga voces poni loco conceptuum ad ipsos conceptus manifestandos, vocibus enim non ego intendo manifestare conceptus, loco quorum illas appono, sed obiecta ipsa per conceptus representata, cum enim ego profero has voces *Petrus est albus*, non intendo audientes certiores facere me habere quendam conceptum representantem Petrum esse album, si enim id intenderem, dicerem: ego scio Petrum esse album, sed intendo illis notum facere in re Petrum habere albedinem. Confirmatur: Voces, vt fatetur Arriaga ponuntur loco conceptuum, & sunt quædam illorum substituta: ergo id ego intendo vocibus præstare, quod præstent conceptus. Sed conceptus non representant se ipsos, sed obiecta, seu res ad quas terminantur: ergo res ipsas, & non conceptus intendo vocibus representari. Ob hanc rationem dicam controu. 8. Logica Punct. 3. voces non significare conceptus, loco quorum substituuntur, sed immediatè res ipsas. Reicienda ergo est in primis definitio Arriagæ, in qua falsò dicitur voces poni ad ipsos conceptus manifestandos. Aduertas me non negare has voces conceptus, cognitio, discursus ponit ad conceptus manifestandos, quia propriè illos significant, quod non præstent, quia loco illorum substituuntur, sed quia ad illos significandos sunt impositæ. Imò cum ego profero hanc vocem *cognitio* vox substituitur loco conceptus reflexi terminati ad alium conceptum, seu ad cognitionem, quem conceptum reflexum non representat hæc vox *cognitio*, sed alium directum ad quem significandum est imposita, & quem respicit tanquam obiectum conceptus reflexus loco cuius substituitur.

2 Duplicet etiam quod docet Arriaga voces non poni loco rerum, quia cum voces sint rerum representationes, & imagines, optimè loco rerum poni dicuntur, sicuti ponitur statua, seu imago vt cultum illi deferamus imagini quem intendimus deferre prototypo, & in ipsa imagine prototypum veneremur. Itaque voces ponuntur loco conceptuum, & loco rerum, & vtrorumque dicuntur substituta, diuerso tamen modo; ponuntur enim loco conceptuum, vt id præstent, quod ipsi conceptus præstarent, si non fierent, videlicet vt representent eadem obiecta eà ratione, quâ illa conceptus representant. Ponuntur etiam loco rerum, non vt præstent id, quod res ipsæ præstent, aut debent præstare, sed vt ego me geram eodem modo vocibus in oratione positus, ac me gererem ipsis rebus, sicut enim demonstrato homine rectè dicerem hoc est animal rationale; sic hac voce *homo* in oratione posita, dico, *homo est animal rationale*: & sicuti interroganti, quodnam sit subiectum, quod dicitur potens ridere rectè responderem, si hominem re ipsa existentem demonstrarem, & dicerem, *hoc est*, sic rectè respondeo vtens voce locorei cum dico, *homo est subiectum quod dicitur risibile*.

3 Tenenda ergo est definitio, quam, ex Aristotele in initio Elenchorum tradit Fonseca supra, & cum illo quam plures alij, videlicet suppositio est *acceptio nominis pro re quam significat*. Neque addendum est cum Toletus pro se, vel pro suo significato, quia quando nomen pro se supponit, sicuti contingit in hac propositione, *homo est rex*, se ipsum significat, quia substituitur loco conceptus representantis ipsum nomen, & vt dicebam Punct. 1. illud significat vox, quod representat con-

ceptus, loco cuius substituitur, quâ ratione asserui voces expertes significationis in propositione positas, eadem proprietate se ipsas significare, quâ hæc vox *homo* significat animal rationale. Comprehendit ergo definitio tradita à Fonseca paucioribus verbis id, quod pluribus traditur Toleti definitione, in qua superflue verba illa pro se, quæ continentur in illis *pro suo significato*.

Hac posita definitione explicandum est quomodo differant significare, & supponere. In primis suppositionem distinguimus à significatione naturali; quam habet ipsa vox certum est apud omnes, vox enim *homo* naturaliter significat suum prolatorem, & pro illo non supponit: de significatione, quam vox habet ex libera hominum institutione maior est difficultas. Affirmant nonnulli, significationem ex instituto; & suppositionem non distinguimus; immeritò tamen, quia me duci in cognitionem rei significatæ non est me vt nomine pro re significata, cum enim quis tubæ sono ducitur in cognitionem prælij iam imminenti, non vitur tubæ loco prælij; neque cymbali sono, quo diuina officia celebranda significantur, vitur loco officiorum. Dicendum est suppositionem differre à significatione tanquam vsum à re, quâ vitur, quod explicat ipsa suppositionis definitio: *usus nominis significantis rem, pro re quam significat*, vitur ergo in ipsa suppositione nomine significante, & ipsa significatione nominis, qui vsum consistit in acceptione ipsius nominis significantis pro re significata. Rem declarat exemplum: hæc vox *Petrus* significat veram, & realem entitatem Petri in re existentem, cui Petro & non voci conuenit esse animal rationale, virtute cuius significationis vt ego tribuam vere Petro existentem hoc quod est esse animal rationale, assumo talem vocem, & dico *Petrus est animal rationale*, quod est vt voce *Petrus* loco ipsius veri Petri, cui intendo tale prædicatum tribuere. Eadem ratione intendo ego de Petro dicere esse rationale, seu principium ratiocinandi, & vt id præstem assumo vocem hanc *rationale*, quam scio significare principium ratiocinandi, & dico, *Petrus est rationalis*, posita vocerationalis loco rei, quam significat, videlicet principij ratiocinandi. Hic ergo vsum, seu hæc acceptio est positio vocis significantis loco rei significata, & est positio vnius rei loco alterius, & suppositio dicitur, & reperitur tam ex parte subiecti, quam ex parte prædicati.

Hæc acceptio vocis loco rei significatæ aliquando est loco rei abstractæ ab existentia, aliquando est loco rei vt existentis. Loco rei abstractæ ab existentia est, quando prædicatum non supponit existentiam, sicuti in hac propositione *homo est animal*, quæ homine non existente vera est, & ita prædicatum neque illius connexio cum subiecto supponit existentiam subiecti. Tunc autem vitur voce loco rei existentis, quando prædicatum nequit verificari de subiecto, nisi antecedenter ad illud subiectum supponatur existens, sicuti in hac propositione *homo est albus*, *Petrus currit*, in quibus prædicatum non potest conuenire subiecto, nisi hoc supponatur existens, & ideo cum has propositiones proferimus, quasi virtualiter affirmamus existere subiectum, de quo intendimus verificare prædicatum. Ex hoc fit in his propositionibus *Petrus currit*, *Ioannes legit*, debere negari suppositum subiecto non existente in rerum natura, quia tunc vitur voce exprimente subiectum loco ipsius subiecti realiter existentis; quod si non existat, erit vsum vocis pro re, quæ non substituit sub illa ratione, sub qua loco illius vox substituitur, & ita malè vox substituitur loco rei, quæ non est. Huiusmodi acceptio, & suppositio contingit in omnibus prædicationibus, quorum prædicatum est accidens physicum respectu subiecti illi realiter contingens, quod necessariò subiecti existentiam supponit. Contingit similiter in orationibus perfectis, quæ propositiones non sunt in quibus reperitur virtualis affirmatio alicuius termini vt existentis, vt contingit in hac interrogatione: *Dum eras in foro, vidisti Petrum ibi existentem*? In qua oratione virtualiter affirmatur te fuisse in foro, & Petrum ibidem fuisse, quod si ita non fuisset, non tantum poteras respondere negando Petrum in foro à te esse visum, sed negando suppositum harum vocum *dum eras in foro*, quia in foro non fuisti; vel suppositum aliarum *Petrus in foro existentem*, quia Petrus non fuit in foro: qui respondendi



respondendi modus aptior esset, quia illo non tantum negabas, quod alter interrogabat, sed quod virtualiter affirmabas. Idem contingit quando significo me alicui subiecto optare aliquid contingere, quod illius existentiam supponit, ut cum dico: *utinam Petrus esset scholasticus diligens*, quia oratione suppono Petrum existere, vanè enim Petro non existentem diligentiam in studio optarem, & ita usus huius vocis *Petrus* in hac oratione est loco ipsius ut existentis. In propositionibus negatiuis sicuti *Petrus non currit*, *Chimera non legit*, vox se tenens ex parte subiecti non sumitur pro subiecto formaliter ut existente, quia Petro existente, & non existente potest verificari Petrum non currere, & modò Chimera non existente verum est dicere *Chimera non legit*, quia quod non est, non est legens.

6 Ex hoc inferes nullam propositionem affirmatiuam veram esse subiecto non supponente, quia eo ipso quod sit vera, in subiecto non desideratur existentia requisita ab hoc ut illi possit contingere predicatum. Inferes similiter propositiones falsas, quasdam esse de subiecto non supponente, sicuti *hæc Chimera est alba*, quia deficit in subiecto existentia, quam debebat habere ut illi posset subiectum conuenire: alias verò esse de subiecto supponente, sicuti hac propositio *Petrus deambulat*, prolata dum Petrus sedet, cum existentia sufficiente ad deambulandum. Neque ex eo præcisè quod subiectum non existat tempore importat per copulam, propositio dicitur de subiecto non supponente, quando predicatum non supponit subiectum ut existens, sicuti contingit in hac propositione *Antichristus fuit existens*, cuius copula importat tempus præteritum in quo non exiit Antichristus, nihilominus propositio falsa tantum est dicenda, & non de subiecto non supponente, quia predicatum ex se non debet supponere subiectum existens, ut illi conueniat, sed illud formaliter existens constituit, & quia virtualiter non affirmatur subiectum existere, sed tantum formaliter per copulam, quod reddit propositionem falsam, & non de subiecto non supponente, tunc enim tantum dicitur propositio de subiecto non supponente, quando virtualiter affirmatur illius existentia (idem dico de præteritione seu quocumque alio statu possibilitatis, aut futuritionis) ut formaliter aliquid de illo prædicetur. Inferes similiter non solum intra propositionem, ut contra nonnullos docuit Fonseca supra, reperiri suppositionem termini, sed ubicumque nomen pro re quam significat accipitur, quod contingit in quacumque oratione in qua sententiam aliquam declaramus; apta exempla in his orationibus adducit Fonseca: *utinam Plato Socratis auditor* & *utinam Socrates doctrinam fidei, quam præclare suis discipulis traderet*, didicisset. In quibus utrimus nominibus *Plato* & *Socrates* pro rebus significatis.

7 Aduertit insuper Fonseca dicendum non esse hoc nomen supponit pro hac re, illud pro illa, sed hoc nomen supponit seu substituitur pro hac & illa re, quia cum nos nominibus utimur pro rebus, nomina à nobis supponuntur, & non ipsa actiue aliud supponunt. Rem ita se habere certum existimo, verumtamen difficile poterimus communem omnium loquendi modum coercere, iuxta quem nomina pro rebus supponere, actiue significatur, & propositionem de subiecto non supponente esse dicimus, neque ego audeam inter respondendum alicui argumento in scholis dicere, hæc propositio est de subiecto non supposito, dum enim omnes loquutionis proprietatem percalleant, me discedentem à communi loquendi modo, & in re parui momenti singularitatem affectantem irriterent.

PUNCTUM V.

*Varia divisiones suppositionum.*

Primò diuiditur suppositio in *formalem*, & *materialem*. Suppositio formalis est, quā nomen accipitur pro re significata per nomen, ut cum dicimus *homo est animal*, *bratio*, *naie*. Suppositio materialis est, quando nomen accipitur pro re ad quam significandam sit impositum, sed pro se ipso, ut cum dicimus *homo est vox*. Rursus suppositio ma-

terialis quædam est *intrinseca*, alia *extrinseca*. Intrinseca est acceptio nominis pro se ipso secundum id, quod intrinsecè habet, veluti cum dicimus *homo est*. Extrinseca appellatur acceptio nominis pro se ipso secundum id, quod habet ex libera hominum impositione, quod illi potuit non inesse, veluti cum dicimus *homo est nomen*, *homo est vox* significatiua.

Suppositio formalis quædam est *propria*, alia *impropria*. Suppositio propria est acceptio nominis pro re, quam propriè significat, & ad quam primò significandam fuit impositum, veluti cum dicimus *leo est animal rugibile*: in qua propositione terminus *leo* propriè supponit. Suppositio impropria est acceptio vocis pro re quam impropriè significat, & ad quam significandam non fuit imposita, ut cum dicitur *vicit leo de tribu Iuda*, ubi nomen *leo* sumitur pro Christo, qui non propriè, sed per metaphoram hac voce *leo* significatur. Suppositio propria alia *communis*, alia *singularis*, quæ discreta dici solet. Suppositio communis est usus nominis communis non affecti signo demonstratiuo pro suo significato, aut significatis. Nomen commune dicitur illud, cuius significatum non prohibet à multis participari. Suppositio singularis est acceptio nominis significantis vnā tantum rem indiuiduam, aut nominis communis affecti signo demonstratiuo, ut cum dicimus *Petrus currit*, *hic homo currit*.

Suppositio communis quædam est *completa*, cuius terminus sumi potest pro omnibus suis inferioribus, quod sumi dicitur pro singulis generum, sicuti in hac propositione vniuersali, *Omne animal est sensitiuum*, ex qua licet inferre: ergo homo est sensitiuus; & rursus: ergo Petrus est sensitiuus, & Ioannes est sensitiuus, & sic in aliis speciebus, & indiuiduis sub illa contentis. Alia est suppositio *incompleta*, in qua terminus non sumitur pro omnibus suis inferioribus, seu pro singulis generum, sed pro generibus singulorum, sicuti in hac propositione *omne animal fuit in arca Noë*, quæ reddit hunc sensum, ex omni genere animalium, aliquod animal fuit in arca Noë, & ita licet inferre ex illa: ergo aliquis homo fuit in arca Noë, & aliquis equus fuit in arca Noë, & sic in aliis speciebus: non tamen licet inferre: ergo hoc indiuiduum animal, videlicet Petrus fuit in arca Noë.

Difficilius explicatu est suppositionis diuisio in *simplicem*, & *personalem*. Suppositionem simplicem sic definiunt Cardinalis Toletus lib. 2. c. 1. *usus termini pro suo tantum materiali significato*, & P. Fonseca: *acceptio præcisæ nominis communis pro suo immediato significato*, quæ definitiones tantum differunt in eo quod Fonseca videatur requirere ad suppositionem simplicem nomen commune, quod Toletus non exposcit. Exemplum adducitur huius suppositionis in his propositionibus *homo est species*, *animal est genus*, cuius subiecta tantum possunt sumi pro immediatis significatis, videlicet pro ratione communi animalis, & ratione communi hominis, quibus prædicata conueniunt, & non pro significatis mediatis, videlicet pro inferioribus contentis sub ratione communi animalis, & sub ratione communi hominis, licet enim dicamus *animal est genus*, non licet dicere, *homo est genus*, & etiam si dicamus *homo est species*, dici nequit, *Petrus est species*. Definitiones has impugnatur Hurtadus ex eo, quod nomē *Petrus* in hac propositione *Petrus currit* supponit personaliter, prædicatum enim secundum suam personam illi conuenit, & in hac propositione *Petrus est indiuiduum subieibile*, supponit simpliciter, quia prædicatum non conuenit illi secundum suam personam; & tamen in vtraque propositione utimur hoc nomine *Petrus* pro eodem immediato significato: ergo suppositio personalis, & simplex non constituitur per hoc quod est sumi nomen tantum pro immediato significato, vel pro mediato. Vidit hoc argumentum Arriaga, asseruitque posse facile Toletum & Fonseca negare antecedens, asserereque nomen *Petrus* non posse nisi personaliter accipi, & ita supponere, etiam in hac propositione *Petrus est indiuiduum subieibile*. Id videtur subodoratum fuisse Fonseca, cum suppositionem simplicem per nomen commune definiuit, & ab illa singularia nomina relegauit. Verumtamen Cardinalis Toletus nullo modo potest hac uti solutione, quia expressè affirmat in hac propositione *Petrus est indiuiduum*.



diuiduum, nomen *Petrus* supponere simpliciter, quia non licet inferre: ergo homo est indiuiduum, animal est indiuiduum, sicuti licet inferre ex hac propositione *Petrus currit*: ergo homo currit. Iuxta hanc solutionem videtur supponere Toletus hoc nomen *Petrus* mediatè significare rationes superiores hominis, & animalis, sicuti *animal* mediatè significat rationes hominis, & equi; & *homo* rationes Petri, & Ioannis. Verumtamen hic significandi modus improprie satis huic nomini *Petrus* tribuitur.

Horum Doctorum sententiam impugnatur Arriaga ex eo quod non detur ratio communis præcisa ex parte obiecti, quam immediatè significet hoc nomen *homo*, quod videtur supponere, cum afferunt hoc nomen *homo* immediatè significare rationem communem hominis, & mediatè inferiora sub illa contenta. Quod verum non est, cum ex parte obiecti nulla detur præcisa, & conceptus vniuersalis hominis nihil aliud sit quam aggregatum omnium indiuiduorum, quæ non mediatè, sed immediatè confusè cognoscuntur per conceptum, quo attingitur ratio communis hominis, cum dicitur, *homo est species*. Doctrinam de præcisionibus, quam tradit Arriaga veram esse sentio, sed non ad rem, licet enim conceptus hominis dicat aggregatum omnium indiuiduorum, & hæc ex vi illius conceptus immediatè attingantur, tamen attinguntur omnia simul, & confusè per modum vnius, tanquam vnum obiectum adequatum significatum per hanc vocem *homo*; hoc tamen indiuiduum, videlicet *Petrus* vt distinctus à Ioanne, & à reliquis omnibus non immediatè significatur per hanc vocem *homo*, neque est obiectum adequatum, quod ex vi illius significetur: ergo in sententia etiam non præcise obiectiue potest assignari huic voci *homo* tanquam obiectum immediatum, & adequatum ratio communis hominis, quæ formaliter sit aggregatum omnium indiuiduorum, de quo verificatur hoc prædicatum *species*, & tanquam obiectum mediatum, & inadequatum, hoc indiuiduum *Petrus* de quo non potest verificari hoc prædicatum *species*. Friget ergo Arriagæ impugnatio ex profundis desumpta principiis.

Hurtadus, & Arriaga ex Soto & aliis docent suppositionem simplicem esse vsum termini pro subest secundæ intentioni, veluti cum dicitur *animal est genus*, *homo est species*, *Petrus est indiuiduum subiectibile*. Suppositionem verò personalem esse acceptionem termini ad significandum id, quod res in se habet. Probat Hurtadus ex ipsa nominis etymologia, est enim terminum personaliter supponi, supponi secundum id, quod habet ratione sui: & supponi simpliciter, supponi secundum id, quod simpliciter tangitur extrinsecè denominatione procedente à forma secundæ intentionis.

Quoties quæstio est de definitionibus eiusdem rei, an hæc vel illa sit admittenda, & aliunde fixum non est, quæ sint definita exacta definitione comprehendenda, difficile potest quæstio dirimi: quicumque enim postquam suam defensionem est architectatus, definita meditat, quæ excogitata definitio comprehendat, & quidquid suæ definitione non comprehenditur, asserit definitum non esse, neque gaudere ratione communi, de qua definienda agitur. Sic contingit in præsentis quæstione, & ita nulla ex prædictis sententiis poterit efficaciter impugnari. Quis enim Fonssecam impugnabit, si asserat hanc non esse suppositionem simplicem, sed personalem, *Petrus est indiuiduum subiectibile*, quia terminus non sumitur pro mediatè significato, sed pro immediato: quisve Toletum convincet asserentem hanc esse suppositionem simplicem *Petrus est indiuiduum*, quia ex hac propositione non licet inferre: ergo *homo est indiuiduum*; quod enim ait Hurtadus, ex Etymologia nominis deduci suppositionem personalem esse acceptionem nominis pro re, quæ secundum se conuenit illi, nullius est momenti, potuit enim ex hac ratione nomen desumi, etiam si non conueniat omnibus significatis, sicuti dicitur suppositio personalis à persona; & licet albedo rationem personæ non habeat; personaliter supponi dicitur in hac propositione, *albedo est color*.

Mea profecto sententia est nihil certè in hac re posse definiri, quia nullam habemus fixam definitionem, cui stare debeamus, neque certa sint definita, cui definitio

debeat conuenire, & ita vno vel altero definito addito, aut ablato, quælibet definitio impune poterit defendi. Ad rem magis videtur accedere Hurtadus, & Arriaga; addiderim tamen non quamcunque denominationem procedentem à cognitione constituit suppositionem simplicem, cum enim dico *homo est cognitus*, suppositio non est simplex, sed personalis; quod fatetur Arriaga, & ægrè satis defendit iuxta sua principia, sed denominationem procedentem à cognitione quatenus confundente vt vnum, quæ in re sunt plura, vel distinguente vt plura quæ in re sunt vnum, per quam constituitur terminus secundæ intentionis, sicuti in hac propositione *homo est species*, cuius prædicati denominatio provenit à cognitione vt confundente indiuidua, & in hac propositione *animal est genus*, cuius prædicati denominatio provenit à cognitione confundente per modum vnius species distinctas, & in hac prædicatione *Petrus est indiuiduum subiectibile*, cuius prædicati denominatio procedit à cognitione distinguente vt plura rationem specificam, & indiuidualem, quæ realiter non distinguuntur. Hac ratione rectè defenditur subiecta harum suppositionum, *homo est cognitus*, *Petrus est cognitus* supponere personaliter, quia denominatio cogniti non provenit à cognitione vt confundente, quæ in re sunt plura, neque vt distinguente quod in re est vnum. Deinde hac ratione rectè defenditur in suppositione simplici non posse fieri descensum à prædicato superiori ad inferius, neque ascensum à prædicato inferiori ad superius; non enim licet inferre *Petrus est indiuiduum subiectibile*: ergo *homo est indiuiduum subiectibile*, neque potest argui, *homo est species*: ergo *Petrus est species*. In suppositione personali termini communis semper potest fieri descensus à prædicato superiori ad inferius; quando verò suppositio est termini singularis non semper potest fieri ascensus ad prædicatum superius, dicimus enim *Petrus est indiuiduum*, & non licet inferre: ergo *homo est indiuiduum*, et si nomen *Petrus* in priori propositione personaliter supponat.

Alia est diuisio suppositionis in naturalem, & accidentalem. Suppositio naturalis est acceptio nominis communis pro omnibus suis significatis, veluti cum dicitur *homo est rationalis*, tunc enim nomen *homo* sumitur pro hominibus præteritis, existentibus, & futuris. Suppositio accidentalis est acceptio nominis communis non pro omnibus suis significatis, quæ reperitur in hac propositione, *omnis homo hac die occubat locum*, in qua nomen *homo* tantum sumitur pro hominibus, qui modò existunt non pro his, qui extiterunt aut existent.

Vltimò suppositio communis diuiditur in distributivam, copulatam, particularem, & confusam. Suppositio distributiva est vsum termini communis de suis inferioribus, ita vt prædicatum inter ipsa distribuatur, & de quolibet illorum dici possit. Hæc suppositio reperitur in hac propositione *omnis homo currit*, ex qua licet inferre *hic homo currit*, & *hic homo currit*. Suppositio copulata est vsum termini communis pro suis significantibus collectiue sumptis, ita vt tantum de omnibus simul sumptis enuncietur prædicatum, non tamen de aliquo, seu aliquibus illorum seorsim sumptis. Reperitur hæc suppositio in hac propositione, *omnes Apostoli Dei sunt duodecim*, ex qua non licet inferri: ergo *hic Apostolus*, aut *hi Apostoli* omnibus non assignatis, *sunt duodecim*, sed tantum omnibus simul sumptis potest prædicatum conuenire. Suppositio particularis est vsum termini communis pro suis inferioribus distinctiue sumptis, quod fit cum cuiusque inferiori seorsim sumpto extremum alterum applicatur sub distinctione, ita vt non solum in termino communi, sed in tota propositione fiat distinctio. Sic accidit in hac propositione *aliquis homo currit*, ex qua inferimus: ergo *hic homo currit*, vel *ille homo currit*, vel *ille homo currit*, &c. Suppositio confusa est vsum termini communis pro suis inferioribus distinctiue sumptis. Tunc autem inferiora distinctiue, & non distinctiue sumuntur, quando terminus communis respectu vnius subiecti, aut vnius prædicati in eadem propositione disiungitur, ita vt distinctio propositiones non separet, sed extremum vnius propositionis quod dicitur confusè supponere. Sicuti in hac propositione *Equus requiritur ad equitandum*, quæ ita resoluitur, vel *hic equus*, vel *hic equus*, vel *hic equus*, &c. requiritur ad equitandum, non tamen potest resolui, neque ex illa propositione



positione licet inferre: *ergo hic equus requiritur ad equitandum, vel hic equus requiritur ad equitandum, vel hic equus requiritur, &c.* quia non potest demonstrari vnus indiuiduus equus, de quo verum sit dicere requiri ad equitandum, quocumque enim ablato fiet equitatio.

Sunt, qui nolint distinguere suppositionem particularem à confusa, verumtamen hi confundunt ea, quæ in se valde discrepant. Harum suppositionum distinctionem breuissimè ostendam. Da mihi hanc propositionem esse veram, *aliquis equus currit*, tunc, qui attentè inspicere omnes equos posset absolute, & absque vlla distinctione quemdam determinatum equum currentem demonstrare, & dicere, *hic equus currit*, quem saltem Deus agnoscat, & designare posset, respectu cuius verificatur propositio. Deinde sume tibi hanc propositionem esse veram, sicuti de facto est, *Equus requiritur ad equitandum*, adhuc posita illius veritate quantumvis perfectè equos omnes comprehenderes, non posses designare vnum determinatum equum, de quo diceres, *hic requiritur ad equitandum*, & respectu huius specialiter, & non respectu aliorum verificatur propositio illa, *equus requiritur ad equitandum*. Neque Deus ipse potest talem designare equum, quia in re non est, neque magis vnus præ aliis requiritur. Confirmatur: demus ut argumentum clarius procedat, tantum dari duos equos, supposita hac veritate *aliquis equus currit*, eo ipso quod verè dicatur *hic equus non currit*, per consequentiam necessariam inferret alterum currere. Supposita tamen hac veritate, *equus requiritur ad equitandum*, etiam si quis dicat, *hic equus non requiritur ad equitandum*, non poterit inferri: ergo alter, & alius ab hoc distinctus requiritur, quia sine hoc poterit fieri equitatio in illo, & sine illo poterit fieri equitatio in isto; & ita inassignabilis est, qui illorum requiratur, sicuti potest assignari qui illorum currat, supposita veritate huius propositionis. Ratio à priori est, quia hoc quod est currere, dicit determinatam actionem iam exercitam, quæ non potest à determinato principio non procedere, hoc tamen quod est equum requiri, non dicit determinatam actionem, sed tantum necessitatem conditionatam vniuscuiusque indiuidui equi ex suppositione, quod reliqui ab ipso distincti absint. Vide quæ de hac re scribo *Controuer. 5. Logice, Punct. 5.* ubi naturam indiuidui vagi explano. De regulis indicantibus distinctas terminorum suppositiones consule Cardinalem Toletum *lib. 2. cap. 2. & 3.* ego enim breuitati consulens illas omitto, quia existimo ex doctrina tradita sufficienter quamcunque suppositionem cognoscendam esse.

PUNCTVM VI.

De ascensu & descensu.

Iuxta quatuor suppositiones proximè enumeratas quatuor reperiuntur genera ascensus, atque descensus, ideo horum explicatio illarum explanationi annectitur. Rectè ascensum definit Toletus *lib. 1. cap. 8. à singularibus sufficienter enumeratis ad vniuersale progressio*, sicuti *hic ignis est calidus, & hic ignis est calidus, & hic ignis est calidus*, & in cæteris simili modo: *ergo omnis ignis est calidus*. Descensus est argumentatio ab vniuersali ad singularia sub illo contenta, sicuti cum dicimus, *omnis ignis est calidus*, inferre possumus: *ergo hic ignis est calidus, & hic ignis est calidus*.

Quadruplex est ascensus (idem intellige de descensu) iuxta quatuor suppositionum genera copulatiuus, copulatus, disunctiuus, & disunctus. Ascensus copulatiuus respondet termino supponenti distributiue seu copulatiue, sicuti in exemplo allato *omnis ignis calefacit*, in quo ascensu integræ propositiones coniunguntur, dicimus enim: *hic ignis calefacit, & hic ignis calefacit, &c.* ergo omnis ignis calefacit. In hoc ascensu necessariò sunt recensenda omnia singularia, & de illis omnibus debet verificari ratio inferenda in propositione vniuersali, vno enim singulari dempto, propositio vniuersalis legitime non inferretur, & vnà propositione singulari falsa existente, vniuersalis falsa erit. In descensu, qui huic ascensui correspondet, et si omnia

singularia possint recenseri, non omnia necessariò recensenda sunt, posita enim hac vniuersali propositione *omnis ignis calefacit*, possumus ad vnum, vel alterum indiuiduum argumentatione descendere inferendo solum: *ergo hic ignis calefacit*, quæ illatio erit legitima, et si de aliis indiuiduis in illa vniuersali contentis mentio non fiat.

Ascensus copulatus respondet termino supponenti collectiue, qui fit à singularibus omnibus, nullo dempto copulatiue, seu collectiue enumeratis, sicuti in hac illatione: *Hic Apostolus Dei, & hic Apostolus Dei, & hic Apostolus Dei sunt duodecim: ergo omnes Apostoli Dei sunt duodecim*. Huic ascensui similis descensus respondet à termino communis ad omnia singularia copulatiue sumpta, quæ sicuti in ascensu simul omnia nulloque prætermisso debent recenseri, aliàs consequentia erit inepta, & falsum consequens.

Ascensus disunctiuus respondet termino particulari disunctiue supponenti. Hic fieri non debet ab omnibus particularibus, licet ab omnibus, seu ab aliquibus, & etiam ab vno, dummodo de illo verificetur prædicatum inferendum, fieri possit. Hæc est enim optima consequentia, *hic homo currit, vel hic homo currit: ergo aliquis homo currit*. Similiter rectè *hic homo currit: ergo aliquis homo currit*. Huic ascensui similis descensus respondet, in hoc tamen recensenda sunt omnia singularia, vt teneat consequentia, si enim existant tres homines, & quis dicat, *aliquis homo currit non rectè inferretur: ergo hic homo currit, vel hic homo currit* tertio prætermisso, quia forsitan tertius ille erat, qui currebat, & ratione cuius vera erat illa propositio, *aliquis homo currit*.

Ascensus disunctus respondet termino supponenti confusè, qui fit à singularibus disunctim sumptis in eadem propositione; exempli gratia, *vel hic equus, vel hic equus, vel hic equus requiritur ad equitandum: ergo equus requiritur ad equitandum*. In hoc ascensu recensenda sunt omnia singularia vt antecedens sit verum; quod si omnibus non recensitis posset verificari, aut verum esse supponatur, optime ex illo fiet ascensus, & consequentia erit legitima, rectè enim inferretur: *hic equus, vel hic equus requiritur: ergo equus requiritur*, etiam si aliàs existant plures equi, quod non ineptam consequentiam, sed falsum antecedens constituit. Huic ascensui similis descensus respondet, in quo debent omnia singularia recenseri, ex hac enim propositione *equus requiritur ad equitandum*, rectè inferimus illam in quam resoluitur: *ergo vel hic equus, vel hic equus, vel hic equus requiritur ad equitandum*, quod inferri nequit omnibus equis indiuiduis non recensitis, aliàs consequentia erit mala, & falsum consequens, quia vno tantum equo assignato, qui omitatur, reliqui omnes non erunt necessarij ad equitandum.

PUNCTVM VII.

De statu, ampliacione, restrictione, alienatione, & diminutione.

Status, Ampliatio, Restrictio, Alienatio, & Diminutio, proprietates sunt terminorum, suppositionumque affectiones, ideo de his disputant Dialectici omnes. Cum nomen, illiusve categorema accipitur pro his rebus, quæ existunt, tunc dicitur suum habere statum. Cum verò sumitur pro pluribus, tunc ampliatur. Exempli gratia, cum dico *omnis homo currit*, præcipua copula significat tempus præsens: terminus *omnis homo* statum dicitur habere si supponat pro his tantum hominibus, qui existunt tempore præsentis, vt existentibus tempore præsentis. Eadem ratione statum habere existimo terminum *omnis homo*, in his propositionibus *omnis homo currit, & omnis homo currit*, quia in priori tantum supponit pro hominibus præteritis, & in posteriori pro futuris, siue hi futuri modo existant, & antea extiterint, siue tantum sint extituri; & illi præteriti existant modo, & postea sint extituri, aut tantum extiterint; ad priorè enim propositionem de præterito tantum spectat hominū præteritio, præsentia verò, & futuritio ipsorum impertinenter se habet; & ad posteriorem



riorem de futuro tantum attinet hominum futuro, illorum vero presentia, aut praeteritum ad rem non attinent. Neque scio quo fundamento dicat Toletus verbum praeteriti ampliare secum subiectum secundum duas temporis differentias nempe praeteriti, & praesentis; & verbum futuri ampliare subiectum ad duas alias temporis differentias praesentis videlicet, & futuri: ita ut cum dicimus, *Petrus currit*, nomen *Petrus* supponat pro Petro, qui est, vel fuit, & non pro Petro, qui erit; & cum dicimus *Petrus currit*, supponat pro Petro, qui est, vel erit, & non pro Petro, qui fuit. Quae doctrina mihi displicet, quia cum dicimus *Petrus currit*, necessario debet supponere pro Petro qui fuit, quod si Petrus ille, qui fuit, modo possit esse praesens, etiam poterit esse crastina die futurus; & si cut futuro crastina impertinenter se habet ad hoc ut currerit, sic praesentia hodierna inutilis est ad cursum praeteritum, & ita non potiori ratione nomen *Petrus* deberet extendi ad tempus praesens, quam ad futurum. Similiter cum dicimus *Petrus currit*, nomen *Petrus* necessario debet supponere pro Petro existente, & aequè impertinenter se habet ad veritatem propositionis existentia, & praeteritum eiusdem Petri, quare ad nullum tempus applicandus est terminus *Petrus*, & si ad praesens esset ampliandus, ad praeteritum eodem iure ampliaretur. Supponit ergo nomen *Petrus* in hac propositione *Petrus currit*, pro Petro existente, siue modo existat, & extiterit, siue tantum exiturus sit.

Ampliatio est cum terminus supponit non solum pro his, qui existunt tempore importato per praecipuam copulam, sed etiam pro existentibus in alio tempore, sicuti in hac propositione, *omnis homo, qui est, & qui fuit currit*, in qua praecipua copula *currit*, tantum importat tempus praesens, & terminus *omnis homo*, non solum stat pro hominibus, qui sunt modo praesentes, sed pro his, qui antea fuerunt. Similiter in hac propositione, *omnis homo est rationalis*, copula tantum importat tempus praesens, & terminus *omnis homo* stat pro hominibus praesentibus, praeteritis, & futuris, & etiam pro possibilibus, & his enim omnibus fit illa enuntiatio, quae utpote essentialis, & aeterna veritatis, abstrahit a tempore: quod contingit in omnibus eiusdem rationis, & in aliis quae similem necessitatem habent saltem ex lege Dei, sicuti in hac propositione, *Iusti Deum videbunt*, terminus *iusti* ampliatur ad iustos temporis praeteriti, praesentis, & futuri, licet praecipua copula tantum indicet tempus futurum.

Placet advertere nomina singularia tantum posse ampliari secundum tempus, quia non habent inferiora, ad quae extendantur, nomina vero communia ampliari ad tempus diversum, & ad diversa subiecta, cum enim dicimus, *homo est rationalis*, terminus *homo* ampliatur ad omnia tempora, & similiter ad homines praeteritos, & futuros distinctos ab his, qui modo sunt. Terminus autem *Petrus* cum in se non sit multiplicabilis, neque comprehendat distincta subiecta, tantum potest secundum tempus ampliari. Notant etiam Doctores terminos connotatiuos ampliari secundum formam, ut cum dicimus, *album fuit nigrum*, subiectum ratione formae ampliatur, ita ut sensus sit, subiectum quod modo habet albedinem, vel quod illam habuit, antequam illam haberet fuit nigrum.

Tempora, secundum quae terminus ampliatur sunt praesens, praeteritum, & futurum, addunt nonnulli possibile, & imaginatum, ad quae se possunt extendere termini, qui afficiuntur verbo significante actum animi internum, sicuti desiderium, & cognitionem, possum enim appetere, & cognoscere non solum ea praesentia, praeterita, vel futura, sed etiam illa, quae tantum sunt possibilia, & quae tantum imaginantur, & in se repugnantiam habent.

Aliud ampliationis genus assignat Hurtadus, quod in eo situm est ut terminus significet tempus distinctum ab illo, quod importat copula, quod tunc contingit, quando termini propositionis significant formas impossibiles, ratione quarum ad diversa tempora recurrendum est, ut propositio verificetur, veluti cum dicimus, *iustus peccat*, quae propositio non potest intelligi de illo, qui modo est iustus, quia non potest esse iustus & peccator in eadem mensura temporis, & ita terminus *iustus* non debet supponere pro tempore praesenti, quod importat copula, sed pro praeterito; & sensus propositionis erit,

homo qui fuit iustus, modo peccat. Sensus propositionis explicatum legitimum esse non inficior, verumtamen haec extractio termini *iustus* improprie dicitur ampliatio; illud enim quod ampliatur retinet quod antea habebat, & aliud de nouo acquirit, in praesenti autem casu terminus *iustus*, qui ex vi copulae debet supponere pro iusto de praesenti ratione praedicati amittit hanc suppositionem, & acquirit aliam pro tempore praeterito, quae potius mutatio quam ampliatio dicitur.

Restrictio est termini coarctatio à maiori ad minorem significationem. Haec praecipue fit quatuor modis. Primo per coniunctionem nominis adiectiui, ut cum dico *omnis homo doctus*, terminus *omnis homo*, qui etiam pro indoctis supponebat ab his excluditur, & tantum ad doctos se extendit ratione adiectiui adiuncti. Notat bene Toletus nomen adiectiuum addendum esse ex parte extremi restringendi, quia si ex parte alterius addatur, nulla fit restrictio, cum enim dicitur, *omnis homo est sapiens*, terminus *omnis homo* pro sapientibus, & insipientibus supponit. Secundo fit per appositionem relatiui, qui modus dici solet per copulam implicationis, ut *omnis homo, qui est Martius*, ubi terminus *omnis homo* restringitur ad illos tantum, qui Martii existunt, & ab illo excluduntur omnes, qui extra Matritum degunt. Tertiò per additionem obliqui, sicuti in hac propositione *omnis equus Regis est albus*, obliquum *Regis* restringit terminum *omnis equus* ad equos regios. Quarto fit per appositionem substantiui inferioris, ut cum dicimus, *Ciuitas Toletum*, nomen *Ciuitas* restringitur ad Toletum, & ab illa ciuitates aliae excluduntur.

Terminus amplius se habet respectu non ampli, seu restricti tanquam superius respectu inferioris; unde sicuti valet affirmatiue, & negatiue, à superiori distributo ad inferius, sic valet ab amplo ad non amplum, seu ad restrictum; sicut enim haec est bona consequentia: omne animal est sensitiuum: ergo homo est sensitiuum, sic ista: omnis homo, qui est, & qui fuit currit: ergo omnis homo, qui est, currit. Omnis equus currit: ergo omnis equus regius currit. Nullus equus currit: ergo equus regius non currit. Non tamen valet ab amplo, seu à non restricto non distributo, seu particulariter sumpto ad non restrictum, haec enim sunt ineptae consequentiae: Equus currit: ergo equus regius currit. Equus non currit: ergo equus regius non currit: quia propositio illa *equus non currit*, aequiualet huic, *aliquis equus non currit*, & ex vno singulari aliud singulare non inferitur. Notat bene Toletus in argumentatione ab amplo, seu à non restricto, distributo ad non amplum, seu ad restrictum debere supponi constantiam subiecti, si affirmatiue concluditur, alias poterit esse antecedens verum, & consequens falsum; nullo enim equo regio existente, haec propositio, *omnis equus currit*, potest esse vera, & non licet inferre: ergo equus regius currit, quia talis equus non subsistit; supposita tamen illius existentia, consequentia erit legitima. A restricto & non amplo valet affirmatiue, & negatiue ad amplum, & non restrictum non distributum, seu particulariter sumptum, haec enim est bona consequentia: Equus regius currit: ergo equus currit, similiter & ista: Equus regius non currit: ergo equus non currit.

Alienatio est extractio nominis à propria ad impropiam significationem, ut cum *homo*, quod significat verum animal rationale adducitur ad significandum hominem pictum, vel statuum hominis; ut cum dicimus, *homo pictus est in aula*, *homo marmoreus est in foro*. Diminutio fit cum terminus, qui rem absolute significat ratione alicuius additi, illam secundum quid significat ut cum dicimus, *Ethiops est albus secundum dentes*, in qua propositione illud additum *secundum dentes*, minuit rationem albi, & facit terminum album secundum quid significare, qui absolute hominem album significabat. A termino alienato ad non alienatum, neque diminuto ad non diminutum, neque è contra nulla fit illatio, non enim valet: *est homo: ergo est homo pictus*: aut *est homo pictus: ergo est homo*: neque *homo est albus secundum dentes: ergo albus: aut est albus: ergo est albus secundum dentes*.

Appellatio est denominatio, quae vna dictio aliam denominat. Exempli gratia, si dicas, *Petrus est bonus Philosophus*, nomen *bonus* appellat supra formale significatum huius vocis *Philosophus*, seu supra Petrum formaliter sumptum ut *Philosophum*, ita ut sensus sit, *Petrus est petrus*

tus



eus Philosophia. Si autē dicas, *Petrus bonus est Philosophus*, nomen *bonus* non appellat supra Petrum ut Philosophum, sed supra Petrum materialiter sumptum, ita ut sensus sit *Petrus bonā indole*, seu excellenti virtute præditus est Philosophus. Hæc appellatio materialis dicitur, & illa formalis. Circa appellationem duo benè notat Fonseca. Primò nomen appellans vel esse adiectivum, vel instar adiectivi se habere; & nomen appellatum substantivum esse, vel se gerere instar substantivi, quia appellatum quasi substantivum appellanti, & appellans quasi appellato adiacet. Secundo notat nomen appellatum aliquando sumi materialiter, ut patet in exemplis allatis, *Petrus bonus est Philosophus*, & *Petrus est Philosophus bonus*, in quarum priori propositione nomen appellatum videlicet *Petrus* materialiter sumitur, & in posteriori formaliter: nomen verò appellans semper sumitur formaliter. Quia si materialiter sumeretur loco appellationis, puerilis quædam, & nugatoria repetitio fieret, cum enim diceremus, *Petrus est vir magnus*, si terminus *magnus* materialiter sumeretur, sensus esset, *Petrus est vir vir*, seu *Petrus est vir Petrus*.

Nonnullas regulas inuenio apud auctores ad cognoscendum, quomodo fiat nominum appellatio, an supra materiale, an supra formale significatum, nullam tamen fixam inuenio, neque firmā ratione stabilitam, dependet enim multum nominis appellatio ex materia in qua fit, ex subiecto appellato, ex modo loquendi, ex antecedentibus, & consequentibus, ex linguarum idiomate, aliisque circumstantiis, quas si inspiciant periti linguæ, cuius propria sunt nomina, faciliè appellationes cognoscent. Neque alia potest dari regula, quæ in omnibus casibus indefectibilis sit, reperiuntur enim propositiones terminis eodem modo dispositis, in quarum una subiectum materialiter, & in altera formaliter appellatum inuenies. Exemplum sit in his propositionibus: *densum occupat paruum spatium: densum est dulce*, in quarum prima subiectum formaliter est appellatum: quia densum ut densum formaliter occupat paruum spatium; & secunde subiectum materialiter est appellatum. Similiter subiectum huius propositionis *album est dulce*, materialiter appellatur, & subiectum huius *album est pulchrum*, formalem habet appellationem. Eadem ratione hæc propositio *Tullius magnus fuit orator*, significat Tullium magnum arte oratoria fuisse oratorem, quod est subiectum formaliter appellari; si verò de alio homine similis propositio enunciaretur, subiectum materialiter appellaretur, vulgare enim exemplum appellationis materialis esse solet *Petrus magnus est Philosophus*. Scio harum distinctarum appellationum nonnullam inueniri rationem, verumtamen si ex illa velimus regulam constituere, tot ferè regulas instituemus, quod propositiones inuenientur.

Neque audiendi sunt Fonseca lib. 8. cap. 4. & alij Summulista, qui cum asserunt hanc appellationem *vidi Papam* formalem esse, & materialem istam *Papam vidi*, ita ut sensus prioris propositionis sit, *vidi hominem*, quem Papam esse cognoui; & posteriori asseratur, *vidi hominem*, qui est Papa, non tamen agnoui Papam esse. Idem asserunt de his propositionibus, *vidi venientem*, *venientem vidi*, & aliis similibus. Quod gratis & sine fundamento dicitur, aliæque impugnatione non indiget.

## CONTROVERSIA II.

### De sciendi instrumentis.

SCIENDI instrumenta sunt Definitio, Divisio, & Argumentatio, de quibus præsens instituitur Controversia.

#### PUNCTUM PRIMUM.

##### Quid sit Definitio.

Definitio, quæ apud Latinos finitio dici solet, ab agnitionis finibus nomen desinit, sicut enim fines, seu termini agnitionis ita agnoscentibus, ut nihil

horum extra illos repertiatur, ita definitio sua definita vndeque comprehendit, ut nullum sit quod definitione non cingatur, neque aliquid definitio amplectatur, quod naturam definiti non contineat. Est igitur definitio *oratio explicans naturam rei*. Oratio dicitur, quia necessariò plures dictiones debet continere, quādam ex vi cuius definitum cum aliis contineat, quod nomen *oratio* præstat in definitione positum, est enim commune multis, quæ definitiones non sunt: aliam ex vi cuius definitum fecernatur à reliquis omnibus, de quibus definiendis ex vi illius definitionis non agitur. Hoc præstant reliquæ particulae *explicans naturam rei*. Hoc enim quod est explicare rei naturam proprium est definitionis. Idem videre est in quacunque definitione, adduco communissimam *animal rationale*, in qua nomen *animal*, seu conceptus illi respondens commune est non hominibus, *rationale* autem coniunctum animali, ita proprium est hominis ut nulli ab homine distincto correspondeat. Conceptus multis communis, qui in definitione reperitur, genus dicitur; & proprius conceptus definiti differentia appellatur, ex quo fit definitionem omnem constare genere, & differentia, vel aliquo, loco generis, & loco differentie, quia non quidquid aliis commune est generis propriam rationem habet, licet in definitione vices generis obtineat.

Vulgò tota hæc propositio, *homo est animal rationale*, definitio hominis solet appellari, verumtamen adæquata definitio consistit in altero extremo, *animal rationale*. Ob hanc rationem rectè dicebat Aristoteles 1. *Periherm.* cap. 4. ipsam hominis rationem, definitionem, enunciationem non esse, nisi vel *est*, vel *erit*, vel *erat*, aut aliquid addatur, quia unum est, & non multa. Rationem manifestè conuincit, hæc propositio *homo est animal rationale*, continet ipsum definitum, videlicet *homo* quod neque est sui ipsius definitio, neque pars suæ definitionis: ergo subiectum illius propositionis *homo est animal rationale*, omnino est extra hominis definitionem. Neque huic conceptui *animal rationale*, qui est definitio hominis, adiungendus est conceptus alius definiti, ut illius essentiam explicet, aliàs esset instar cuniculi picturæ, cui adscribendum esset, *Hic est cuniculus*, ut suum prototypum repræsentaret. Ideo dicebat Aristoteles 6. *Topic.* cap. 2. definitionem talem esse debere, ut ipsa proposita statim nulloque negotio cognosci possit cuius rei sit definitio.

Increbruit iam apud omnes diuisio definitionis in *definitionem nominis*, & *definitionem rei*, licet definitione rei etiam nominis definitio posset comprehendere, cum nomen res sit vniuersalissimum transcendens, quod etiam nomen comprehendit. Verumtamen familiare est omnibus Philosophis distinguere res significatas per nomina ab ipsis nominibus res significantibus, ideo specialiter definitio nominis à definitione rei diuiditur. Definitio nominis illa est, quæ essentiam nominis declarat, & cum huius essentia, & quidditas sit rem significare, definitio nominis erit illa, quæ explicat significationem nominis, & declarat ad quid significandum sit impositum. Ideo Aristoteles 7. *Metaphysic.* cap. 4. & 2. *Poster.* proprius nominis interpretationem appellauit explicationem, quā modò vulgus nominis definitionem appellat. Definietur ergo hoc nomen *homo*, vox imposita ad significandum animal rationale. Notat benè Fonseca inquirenti nominis definitionem sæpe satisfieri definitione rei significatæ per nomen, ut cum quis rogat, *quis est homo*: ex intentione cognoscendi nominis significationem, & non primariò rem significatam; illique responderetur, *est animal rationale*, rectè significationem nominis deprehendit, agnoscitque, hoc nomen *homo* impositum esse ad significandum animal rationale.

Ad nominis definitionem redacuntur orationes illæ, quæ explicant nominis originem, ut cum dicimus, *Dux est, qui alios ducit, atque gubernat*. Miles est, qui est ex millibus electus. Consul est, qui Reipublicæ utilitati consulit.

Definitio rei vulgò diuiditur in *essentialem*, *descriptiuam*, & *causalem*. Definitio essentialis est, quæ explicat naturam rei per ea, quæ illi sunt essentialia; sicuti *animal rationale*. Hæc definitio fit per explicationem, extensionem, seu distinctionem partium essentialium definiti, & cum hoc partes Metaphysicas habeat, genus videlicet, & differentiam, ex quibus metaphysicè componitur, & ut plurimum partes



partes physicas, ex quibus physicè, & realiter est compositum, fit definitionem essentiali aliquando dari per partes Metaphysicas, quæ propriè sunt genus, & differentia, sicuti in hac definitione *animal rationale*, in qua *animal* verum genus, & *rationale* vera differentia reperiuntur, aliquando per partes physicas, ut cum dicimus *homo est corpus*, in qua definitione, materia, et si genus non sit, vices generis habet, quia generi similis est in hoc quod est esse multis commune; & anima immediatè respiciere rationem communem, & mediata individua sub tali ratione contenta; seu ut definitum adequatum, ut volunt alij præcipuè ex non præcendentibus obiectivè, qui asserunt Petrum, & Ioannem esse immediatè significata per hanc vocem *homo*, & immediatè obiectum conceptus vocis illi respondentis, inadæquata tamen, quia tam vox quàm conceptus attingunt collectionem individuorum, quod est præter hæc individua attingere reliqua ab ipsis distincta: siue ergo, Petrus sit definitum inadæquatum immediatè significatum non per se solùm, sed simul cum aliis; siue definitum remotum, non proximè, sed remotè significatum per vocem *homo*, & per conceptum huic voci respondentem, non dicitur ad convergentiam cum sua definitione, quia licet sit bona consequentia, est Petrus: ergo est animal rationale, non bene inferitur est animal rationale: ergo est Petrus. Nota insuper hæc definita inadæquata, seu remota non definiunt secundum proprios conceptus, ratione quorum inter se distinguuntur, sed quatenus conveniunt in ratione omnibus communi, videlicet in ratione hominis secundum quam, & non secundum individuales differentias Petrus definitur hac definitione *animal rationale*.

6 Definitio descriptiva dicitur, quæ explicat essentiam definiti per ea, quæ sunt extra illius essentiam, hoc est, per passionem, & proprietates. Hæc datur aliquando per propriam passionem definiti, ut cum dicimus *homo est animal risibile*, in qua natura hominis explicatur per potentiam ridendi, quæ est propria hominis passio, & cum illo dicitur ad convergentiam. Aliquando datur per plura accidentia, quorum quodlibet est multis commune, illorum tamen collectio tantum convenit definito, ut cum dicimus *homo est animal implume bipes*, licet enim multis conveniat plumis carere, multaque duos pedes habeant, nullum tamen præter hominem utraq; proprietate gaudet.

7 Definitio causalis est illa, quæ rei naturam per suas explicat causas. Hæc si detur per causas intrinsecas materialem videlicet, & formalem, *essentialis* est, quia huiusmodi causæ essentialis sunt composito, quod constituunt, quod est per illas definitum, & ita quidquid per causas intrinsecas definitur, per ea, quæ illi sunt essentiali definitione explicatur. Si definitio detur per causas extrinsecas finalem videlicet, & efficientem, poterit specialius hæc definitio ab essentiali condistingui. Exemplum definitionis traditæ per causam efficientem, est hæc vocis definitio, *vox est sonitus editus ab anima ista ævis respiratione attracti cum ipsum ad fauces allidit*. Exemplum definitionis traditæ per causam finalem in hac hominis definitione habetur: *Animal creatum ut æterna felicitate, Deoque clarè visio perfruatur*. His definitionibus addunt nonnulli definitionem traditam per causam exemplarem, qualis hominis definitio, *homo est animal factum ad imaginem, & similitudinem Dei*. Interdum etiam res per plures illius causas simul sumptas definitur, ut cum dicimus: *Homo est animal factum à Deo ad imaginem, & similitudinem ipsius Dei, ut æterna felicitate perfruatur*. Huiusmodi omnes definitiones ad descriptivam possent reduci, sicuti definitio tradita per causas intrinsecas essentiali comprehenditur, & ita definitio adequatè essentialis, & descriptivam rectè divideretur. Potest etiam ratione nostrâ distingui causalis definitio, etiam per causas intrinsecas exhibita à definitione essentiali, quatenus definitio essentialis præcisè ut essentialis, tantum dicit tradi per essentiam, & abstrahit ab hoc quod est tradi per causas, aut per non causas; & descriptiva dicit similiter tradi per ea, quæ non sint essentialia, & abstrahit à causis per quas tradatur, & à causarum negatione, & è contra causalis definitio dicat tradi per causas, & abstrahat à reliquis omnibus. Alio modo poterunt hæc tria membra inter se condistingui, si partitio fiat in definitionem purè essentialis, hoc est, essentialis non causalem; & purè descriptivam, & in causalem indifferentem ut sit essentialis, vel descriptiva.

8 Primum præceptum bonæ definitionis est, ut definitio sit clarius definito, hoc est, ut conceptus formalis in quo consistit definitio expressius & clarius representet rem definitam, quàm illam explicabat conceptus formalis simpliciter nomini definiti correspondens. Itaque ut hæc sit definitio *animal rationale* conceptus respondens illius vocibus clarius & expressius debet exprimere suum obiectum, quàm idem obiectum representat conceptus respondens huic voci *homo*, quæ definitum significatur. Ob hanc rationem oratio ista *arbor inanesa* quam nonnulli trahebant ad explicandam hominis naturam vitiosa est definitio, seu potius definitio dicenda non est, facilius enim agnoscam hominis naturam per hanc vocem *homo*, quàm per hoc complexum *arbor inanesa*.

9 Secundum præceptum est ut definitio, & definitum conveniantur, ita ut teneat consequentia, est homo: ergo est animal rationale; & similiter, est animal rationale: ergo est homo. Hoc præceptum intelligendum est respectu

definiti proximi, seu adæquati, non verò, respectu definiti inadæquati, & remoti, licet enim semper valeat à quocumque definito ad definitionem, quia omnis definitio de quocumque definito dicitur, non tamen valet à definitione ad definitum inadæquatum, seu remotum. Rem declaro: hæc definitio *animal rationale* respicit tanquam adæquatum & proximum definitum rationem communem hominis, & tanquam definitum remotum Petrum, & Ioannem, ut volunt nonnulli asserentes conceptum hominis immediatè respicere rationem communem, & mediata individua sub tali ratione contenta; seu ut definitum adequatum, ut volunt alij præcipuè ex non præcendentibus obiectivè, qui asserunt Petrum, & Ioannem esse immediatè significata per hanc vocem *homo*, & immediatè obiectum conceptus vocis illi respondentis, inadæquata tamen, quia tam vox quàm conceptus attingunt collectionem individuorum, quod est præter hæc individua attingere reliqua ab ipsis distincta: siue ergo, Petrus sit definitum inadæquatum immediatè significatum non per se solùm, sed simul cum aliis; siue definitum remotum, non proximè, sed remotè significatum per vocem *homo*, & per conceptum huic voci respondentem, non dicitur ad convergentiam cum sua definitione, quia licet sit bona consequentia, est Petrus: ergo est animal rationale, non bene inferitur est animal rationale: ergo est Petrus. Nota insuper hæc definita inadæquata, seu remota non definiunt secundum proprios conceptus, ratione quorum inter se distinguuntur, sed quatenus conveniunt in ratione omnibus communi, videlicet in ratione hominis secundum quam, & non secundum individuales differentias Petrus definitur hac definitione *animal rationale*.

Tertium præceptum est ut quidquid dicitur de definitione, prædicetur de definito, & quidquid prædicetur de definito, dicatur de definitione. Hoc præceptum virtualiter in præcedenti continetur, & respectu definiti proximi, & adæquati nullam patitur exceptionem, respectu verò definiti inadæquati, & remoti, etsi prior pars nulla indigeat interpretatione, posterior interpretanda est de his, quæ conveniunt definito secundum rationem communem, secundum quam definitur: non verò de his, quæ illi conveniunt, quatenus est tale individuum, quia illa, quæ singulariter dicuntur de Petro, ratione propriæ differentie individualis, non dicuntur de animali rationali univèrsaliter sumpto.

Quartum præceptum est ut in definitione nihil desit, aut superfluum: ratione prioris vitij *viuens sensibilis*, non est definitio hominis, quia deficit *rationale*; & ratione posterioris hæc est mala hominis definitio *animal rationale mortale*, superfluum enim illud mortale inclusions in animali, cum omne animal mortale sit.

Quintum præceptum est ut definitio brevis sit, modò brevitatis obscuritatem non pariat. Nam cum definitio sit caput totius disputationis, vitio dabitur, si adeo sit longa, ut non possit facile memoria retineri, & semel atque iterum sine molestia repeti; nihil enim frequentius occurrit in disputatione quàm definitio subiecti, de quo instituitur disputatio.

Rogant nonnulli an definitio possit tradi per genus mediatum, & ultimam definiti differentiam. Cui quæstioni respondeo melius semper tradi per genus immediatum, quod continet rationes omnes superiores, quæ sunt definitio essentialis. Deinde esse plura genera mediata, quæ coniuncta cum ultima differentia non rectam definitionem constituent, si enim ego ad definiendum hominem assumerem hoc genus mediatum illius *viuens*, illudque coniungerem cum ultima differentia, videlicet *rationale*, & hominem definirem *viuens rationale*, definitio esset vitiosa, quia etiam contineret Angelo; qui vivit vitâ rationali. Ultimò assero utcumque posse aliquando rem defini per genus mediatum, & per differentiam infimam, si enim definiatur homo per corpus, quod est genus illius mediatum adiunctum differentie infimæ, & diceretur *homo est corpus rationale* (nomine corporis corpus completum intellige de prædicamento Substantiæ) utcumque definitio possit sustineri, nullum enim corpus rationale reperitur in rerum natura, quod non sit homo. Quod si possibilia inspicias, & in illis reperias aliquod corpus completum capax ratiocinandi, & non sentiendi, prædicta definitio non tantum homini conveniet, sed tali corpori, quod essentialiter differet ab homine ratione prædicari sensibili



sensitui reperti in homine, & inclusi in genere immediato videlicet animali, quod non reperiretur in illo corpore, neque includeretur in genere mediato, scilicet corpore.

Placet etiam advertere clariorem fore definitionem traditam per genus supremum, & omnes differentias vsque ad infimam in definitione positas, veluti si diceretur, *homo est substantia corporea, vivens, sensibilis, rationalis*, quam traditur dum dicitur, *homo est animal rationale*, quia tamen non solum consulendum est claritati, sed etiam breuitati, & satis clare traditur per genus immediatum, per hoc & differentiam ultimam, vt plurimum definitiones tradere consueuimus.

Hic disputant nonnulli an genus, & alia huiusmodi possint definiri; absretamen, vbi enim disputatio instituitur de genere, seu de aliis quibuscumque rebus, opportunius disputabitur an ipsa possint definiri. In praesenti verò cum tantum agamus de definitione, tantum ad rem erit explicare quomodo definitio possit definiri. Opponunt nonnulli: Hæc definitio, *Oratio explicans naturam rei*, respicit tanquam obiecta definita omnes definitiones: ergo respicit se ipsam: ergo idem definitur per se ipsum: ergo non per aliquid clarius, sed per æquè notum, aut ignotum: ergo definitio non potest definiri, ne hæc inconuenientia inferatur. Respondeo prædictam definitionem respicere ex parte obiecti omnes definitiones particulares, quatenus conueniunt in quadam ratione simili, seu in ratione communi definitionis, & hæc ratione respicere se ipsam tanquam obiectum reflexe per se ipsam representatum; sicuti conceptus respondens huic voci *cognitio* respicit tanquam obiectum omnes cognitiones, & se ipsum, quia ipse est cognitio, & sicuti hæc vox *nomen*, significat omnia nomina quatenus similia, & consequenter se ipsam quatenus habet rationem nominis: Cum ergo definitio formalis nihil aliud sit, quam cognitio expressa, clara, & distincta alicuius obiecti, & cognitio illa se ipsam clare, expresse, & distincte representet, erit sui ipsius definitio.

Neque hac ratione inferuntur, quæ obiectione afferbantur, videlicet idem definiri per se ipsum, quia inconueniens non est idem vt obiectum definiri per se ipsum tanquam per definitionem formalem, esset autem inconueniens si idem per se ipsum vt obiectum definitionis formalis definiretur. Præceptum autem illud, definitio debet esse clarior definito, non ita intelligendum, vt definitio formalis clarius debeat cognosci definito, quia vt obiectum aliquod definitur, illius definitio neque clare, neque confuse debet cognosci, cum enim dico, *homo est animal rationale*, hominem definit, & illius formalem definitionem non agnosco, quæ si esset cognoscenda, forsitan difficilius cognosceretur, quam illius definitum agnosceretur, in quo sensu tantum infertur definitionem non esse clariorem definito, quod absurdum non est; non tamen ex eo quod definitio, per se ipsam definitur, infertur conceptum formalem definitionis non clarius representare obiectum definitum, quam representat idem obiectum conceptus formalis definiti, quod absurdum esset, & in quo sensu prædictum præceptum est intelligendum.

## PUNCTUM II.

## De Diuisione.

**D**iuisio Physica est quædam separatio partium, quæ antea vnitæ totum constituiebant, veluti cum lignum in duas partes secatur, tunc diuidi dicitur. Ex hac diuisione desumpta est Dialectica diuisio, quæ est *oratio totum in suas partes distribuens*. Huiusmodi est actus, quo dico, *animal aliud homo, aliud brutum*, ex vi cuius animal quod est quoddam totum potentiale distribuitur in distinctas species, quas sub se continet tanquam partes.

Secundum hanc diuisionis definitionem omnis diuisio totius in partes dicenda esset, assignantur tamen distinctæ diuisiones, in quibus vna specialiter diuisio totius in partes dicitur, quia ex vi illius separantur partes quæ actu componebant totum actuale. Est igitur triplex diuisio

*Præc. de Cædæo, I. philosoph. Tom. I.*

si; quædam dicitur diuisio generis in species, alia totius in partes, alia demum subiecti in accidentia, quæ proprius subiecti per accidentia diceretur. Diuisio generis in species est illa, ex vi cuius genus, quod antea erat totum quoddam potentiale, secatur in species oppositas tanquam in partes, ex quibus componebatur; veluti cum diuiditur elementum in ignem, aërem, terram, & aquam. Ad hoc genus diuisionis reducitur particio speciei in indiuidua, v.g. hominis in Petrum, Ioannem, &c.

Diuisio totius in partes est illa, ex vi cuius totum secatur in partes, quibus actu componebatur. Cæterum cum partes quædam sint Metaphysicæ, aliæ Physicæ, ex his quædam essentielles, aliæ integrantes, & ex his quædam homogeneæ, aliæ heterogeneæ, sic his omnibus partibus distinctis diuisiones distinctæ correspondent. Diuisio in partes metaphysicas est oratio, ex vi cuius diuiditur totum in partes, quibus metaphysicè componebatur; veluti cum diuiditur homo in animal, & rationale. Diuisio essentialis in partes physicas est oratio, quæ totum diuiditur in partes physicas essentielles, quibus physicè componebatur; veluti cum dicitur hominis alia pars est corpus, alia anima, & sic reliquis partibus proportionem seruata similes respondent diuisiones.

Diuisio subiecti in accidentia vulgò dicitur, quæ diuiditur homo in album, & nigrum, quæ strictè loquendo non ita deberet appellari, quia cum ego diuido hominem in album, & nigrum, non diuido hominem in albedinem, & nigredinem, quæ sunt accidentia, quia si ita fieret diuisio, faceret hunc sensum: hominum quidam est albedo, alius nigredo. Deinde nihil potest diuidi nisi in ea, quibus constat, & quæ includit actu vel potentia, sed subiectum non constat accidentibus, neque ex illis actu, aut potentia componitur: ergo subiectum non diuiditur in accidentia. Dicenda ergo est prædicta diuisio, *diuisio subiecti per accidentia*, quia ex vi illius diuiditur subiectum in communi in distincta subiecta, quorum vnum habet hoc accidens, & alterum illo caret, seu habet oppositum. Cum enim diuido hominem in album, & nigrum, diuido collectionem hominum, quæ est totum quoddam aggregatum constans distinctis hominibus tanquam partibus in duas hominum classes, quæ sunt partes diuisi, & inter se distinguuntur ex eo, quod homines huius classis habeant albedinem, & homines illius classis habeant nigredinem, quod est distinguere partes subiecti, seu totius diuisi per albedinem, & nigredinem, & ita diuisio ista subiecti per accidentia propriè dicitur. Diuisio alia quæ solet assignari accidentis in subiecta, quæ fit dum dicitur, *Potentiarum quædam anime inherere, aliæ corpori*, ad præcedentem potest reduci, & propriè non diuisio accidentis in subiecta, sed accidentis per subiecta dicenda est propter eandem rationem, quæ modò dicebam subiectum non diuidi in accidentia, sed per accidentia, ex vi quorum subiectum hoc ab illo secernitur.

Ad idem genus subiecti in accidentia reducenda est diuisio, ex vi cuius genus diuiditur per differentias oppositas præcisè sumptas; animal, verbi gratia per rationale, & irrationale, quod dicendum est per differentias diuidi, non verò diuidi in differentias, quia genus nullo modo componitur ex differentiis, sed ex speciebus in quas diuidi potest tanquam in partes potentiales. Postquam hanc doctrinam semel & iterum scripseram, illam à Fonseca doctè traditam inueni libr. 4. capit. 8. vbi notat nunquam dixisse Porphyrium genus diuidi in differentias, sed per differentias, ibidemque refert Boetium asserentem genus non diuidi in differentias, sed in species.

Diuisio vtilissimum est sciendi instrumentum, quod docuit Aristoteles libr. 2. *Posteriorum*, capit. 14. & libr. 1. *Topicorum*, cap. 14. cuiuscumque rei definitionem inuestigare; quod hac ratione optimè fiet: sumatur genus quoddam rei definiendæ aliis commune, verbi gratia intendendo definire hominem, assumo genus supremum nempe substantiam, quod diuido per differentias in substantiam corpoream, & substantiam incorpoream; ex quibus membris diuidentibus vnum homini non conueniet, nempe substantia incorporea, quod omitto, & alterum assumam, nempe substantiam corpoream: hanc homini conuenire necesse est ex suppositione quod illi membrum aliud diuidens non conueniat, inspicendum est, an illi tantum conueniat, an etiam aliis;

B fi



si illi tantum conueniret, hominis esset definitio; quod si aliis conueniat, sicuti de facto conuenit, iterum subdividenda est per alias differentias inferiores, & essentialia, & assumendum membrum diuidens, quod homini conueniat, quod si non conuenit aliis, hominis erit exacta definitio: sin minus, iterum membrum diuidens per alias differentias subdividendum est donec reperiatur contractum per differentiam, quæ tantum homini conueniat, quæ est rationale, talèque membrum diuidens continens rationem communem generis, & differentias, per quas fuit contractum, donec perueniretur ad illam, quæ constituit membrum diuidens tantum homini conueniens, erit propria, exacta, essentialisque hominis definitio.

7 Diuisiones generis in species, subiecti in accidentia, & accidentium in subiecta à definitione distingui certum est; dubium tamen, an diuisio totius in partes essentialia physicas, & metaphysicas, & generis per differentias, à definitione distinguatur. Afferat Hurradus non omnem diuisionem à definitione distingui, quia hominis definitio tam clarè & explicitè attingit partes hominis, quàm illius diuisio; & vtraque eandem omnino hominis partes nempe animal & rationale attingit, in quas per ipsam definitionem diuiditur, siquidem explicitè, & vt inter se distinctæ ex vi definitionis cognoscuntur. Ratio hæc mihi persuadet eundem actum posse habere rationem diuisionis, & definitionis, nihilominus formaliter diuisio & definitio semper different, quia diuisio semper connotat quoddam totum, quod præcellerit, in quo fuerint vnitæ partes, quæ diuise cognoscuntur, dicitque formalem oppositionem ipsarum partium tantquam membrorum diuidentium, quæ re, aut ratione opponi debent, quod non dicit definitio, cuius tota formalis ratio sita est in suo subiecto clarè vt distincto ab omnibus aliis representando. Insuper hæc diuisio generis per differentias, quam dixi reduci ad diuisionem subiecti in accidentia, animal aliud animal rationale, aliud irrationale, includit definitionem hominis, & definitionem bruti, & conceptum animalis secundum se, dicitque quoddam oppositionis genus inter vtramque definitionem, quod neutri conuenit formaliter vt definitio est; definitio enim hominis præcisè dicit conceptum respondentem his vocibus *animal rationale*. Ex quo inferitur formaliter, & realiter extrinsecè talem semper definitionem, & diuisionem inter se distingui.

8 Leges bonæ diuisionis sunt vt omnia membra diuidentia simul sumpta sint æqualia diuiso, ita vt nulla pars in isto reperiatur, quæ non contineatur in illis, neque aliquid illa contineant, quod isto non claudatur, quodque quodlibet membrum diuidens sit inferius diuiso. Ratio est, quia cum diuisum sit totum, & hoc supra quamlibet partem sui addat alteram, & nihil supra omnes simul sumptas, sic de diuiso necessariò dicendum est, Secundum præceptum est, vt diuisio non fiat per plura membra, quàm par est: si enim animal immediatè velles diuidere in omnes species atomas, neque illas posses inuenire, neque inuentas posses memorià retinere. Cum igitur membra diuidentia plura sint, diuisum secundum est per aliquas rationes communes, quæ rursus per alias, & alias minus vniuersales subdividuntur. Tertium præceptum, vt membra diuidentia re, vel ratione opponantur, hoc est, vt realiter, vel per intellectum sint distincta.

9 De diuisione nominis, quæ vulgò circumfertur consilio non memini, quia, vt doctè ait Fonseca *lib. 4. cap. 2.* diuisio non est, sed distinctio. Diuisionem nominis vulgus appellat distinctionem vocis, aut vocum in varias significationes, quæ illi possunt contingere, vt cum audio nomen *Gallus* quo ex æquo significatur homo natione Gallus, & Gallus gallinaceus, inter vtramque significationem distinguo; & cum audio propositionem istam: *Scio Petrum interfecisse Ioannem*, illam distinguo in duplicem sensum, quem potest reddere, videlicet scio Ioannem interfecisse esse à Petro; & scio Petrum interfecisse esse à Ioanne, in qua distinctione nulla est diuisio, quia nullum datur totum, quod secetur, voces enim non secantur, eadem enim integræ permanent distinctione factæ; neque significationes, quia nunquam

hæ fuerunt aliquo modo vnitæ, neque totum aliquod composuerunt. Dicuntur enim distingui, quia mens non discernerebat quænam illarum voci prolata hæc, & nunc conueniret, sicuti cum quis vidit hominem à longe, dubitans an videat Petrum, vel Ioannem, & postea deprehendit ab illo Petrum videri, non dicitur diuidere Petrum, sed illum à Ioanne distinguere.

## P V N C T V M. III.

## De Argumentatione.

1 IN omnibus Dialecticæ instrumentis Argumentatio prima tenet, quæ vltimò veritas deprehenditur, & illa, quæ latebat ignota eruitur, & nota fit. Vulgò definitur, *oratio in qua vnum ex alio consequi denotatur*; hoc est, in qua ex quadam propositione cognita, aliam inferimus, & deducimus: sicuti cum dicimus, *Petrus est homo: ergo Petrus est animal*. Neque sufficit ad argumentationem, in re obiectum vnius propositionis connexionem habere cum obiecto alterius, ita vt illo posito non possit ipsum non dari, sed requiritur, nos hac connexionem duci ad tale obiectum cognoscendum, quapropter non erit argumentatio; si dicamus, *Petrus est homo: Petrus est animal*; etsi in re non possit esse homo, quin sit animal. Ideo in definitione apponitur particula illa, *inferri denotatur*, quod fit per hanc vocem *ergo*, aut *igitur*. Si propositio, ex qua alia inferitur fuerit vnitæ, *Antecedens* dicitur: si duplex fuerit, prima vocatur *Maior*, secunda *Minor*. Propositio, quæ inferitur nota illationis affecta *Consequentia* dicitur, & id quod inferitur secundum se sumptum *Consequens* appellatur.

2 Argumentatio diuiditur in Syllogismum, Enthymema, Inductionem, Exemplar, & Dilemma. *Syllogismus* est argumentatio in qua ex duabus propositionibus tertia denotatur inferri, veluti cum dicimus: *Omnis homo est animal: Omne rationale est homo: Ergo omne rationale est animal*. *Enthymema* est syllogismus truncatus, in quo ex vna tantum propositione alia denotatur inferri, veluti cum dicimus: *Petrus est homo: ergo Petrus est animal*. *Inductio* est argumentatio, in qua ex pluribus particularibus sufficienter enumeratis vniuersale colligitur. Hæc non distinguitur ab ascensu, & descensu, de quo dixi Controuers. prima, Puncto sexto, *Exemplar* est argumentatio, in qua ex vno vel pluribus particularibus aliud particulare propter similitudinem deducimus, veluti cum dicimus: *Deus pepercit Ninuiitis poenitentiam agentibus: ergo etiam mihi parceret si poenitentiam egero*. *Dilemma* est argumentatio bicornis; in qua duæ partes proponuntur, quarum alteram non possit respondens aduersarius effugere, & illarum qualibet capiendus est. Veluti cum hominem ignarum, qui diu scholas frequentauit, arguimus: *Aut ex animo vacasti litterarum studio, vel non? Si non vacasti; negligens es, tempusque prodigisti. Si vacasti; rudis es, & ingenio hebes, siquidem nihil didicisti*.

3 Rectitudo argumentationis non consistit in veritate propositionum, sed in connexionem consequentis cum antecedenti, seu cum præmissis, ex quibus inferri denotatur. Vnde hæc est bona argumentatio: *Arbor est homo: ergo arbor est rationalis*, etsi vtraque propositio sit falsa; & hæc est mala, *Petrus est animal: ergo Petrus est homo*, etsi vtraque propositio necessaria sit. Ex hoc fit argumentationem non esse dicendam veram, vel falsam, sed bonam, vel malam. Hæc dicta sint pro incipientium captu, multa enim sunt dicenda de natura syllogismi,

ad quem omnes argumentationes adductæ reducuntur Controuers. 9. & 10.

Logice, de illiusque forma, & structura dicam

Controu. 4.

CONTRO



# CONTROVERSIA III.

De Nomine, & Verbo, Oratione,  
& Enunciatione.

**E**NUNCIATIO seu Propositio in se Orationem includit; Nomen & Verbum partes sunt orationis, ideo hæc omnia eadem amplectitur Controuersia.

## PUNCTUM I.

De Nomine, & Verbo.

**N**omen definiuit Fonseca libr. 1. cap. 12. *Vox significans ex instituto definit ac sine tempore, cuius nulla pars separatim significat, quæque adiuncto est, aut non est, efficit orationem, quæ verum aut falsum significet.* Per primam particulam *vox significans ex instituto*, cum pluribus aliis Nomen conuenit: per particulam *finiit*, differt à nominibus affectis negatione infinitante, veluti *non homo, non equus*, quæ Aristoteles non simpliciter nomina, sed addito diminuentem infiniti, infinita nomina appellauit. Per particulam *cuius partes separatim nihil significant*, differt Nomen ab Oratione. Per particulam *sine tempore* differt à Verbo, quia licet nomen aliquando tempus significet, quia ad illud significandum est impositum, si cuti nomen istud *dies*, aut nomen *hora*, & aliquando connotet tempus, quia significat rem aliquam, quæ cum tali tempore connexionem habet, veluti hoc nomen *cuma*, cuius significatum non dicitur tale, nisi præfixo tempore fiat; non significat cum tempore, quod est significare aliquam actionem, & simul cum illa significare hoc, vel illud tempus in quo fieri potest, quod habet Verbum veluti *amat, vicit*. Reliquum definitionis *quæque adiuncto*, &c. omittit Toletus in definitione; quam ipse adduxit, & loco illius addit, nomen debere esse non quamcumque vocem, sed rectam, vt excludat casus obli quos, qui nomina non sunt, sed casus nominum. Possunt etiam excludi hi casus obliqui per vltimam partem definitionis à Fonseca adductæ, quia etiam hi addatur verbum est, non constituunt orationem veram aut falsam, si enim dicatur *Petri est*, nihil verum aut falsum profertur. Ideo cenfeo vtramque definitionem adductam à Fonseca, & Toletio retineri posse.

**V**erbum sic definit Fonseca: *Vox significans ex instituto definit, ac cum tempore præsentis, cuius nulla pars significat separatim, & semper eorum quæ de alio prædicantur est nota.* Quid sit significare cum tempore nuper explicui; dicitur autem verbum significare *definit*, ad excludendum illius infinitum de præsentis, & verba, quibus negatio præponitur, sicuti *non disputat, non legit*. Dicitur significare *cum tempore de præsentis*, quia sicuti in nominibus tantum casus rectus dicitur nomen, sic in verbis tantum præsens Indicatiui Verbum dicitur, quia veritates omnes aliorum temporum semper in ordine ad præsens desumuntur, ideo enim est modò verum dicere *Petrus currit*, quia tempore venturo erit verum dicere *Petrus currit*, & ideo verè dicitur *Petrus currit*, quia tempore præterito verum fuit dicere *Petrus currit*. Posteriorem particulam, & est eorum, quæ dicuntur nota, facile explicat Toletus dicens illa significari verbum esse nexum inter subiectum, & prædicatum, & id, quo illorum identitas denotatur. Pater Fonseca vult illa particulâ significari, verbum vice sui significati prædicari quotiescumque ponitur in enunciatione; cum enim dicimus *Petrus currit*, idem est ac dicere *Petrus est currens*, cuius propositionis prædicatum continetur in verbo, & sic de omnibus aliis. Obiicit sibi in hac propositione *homo est animal*, verbum est neque ratione sui significati prædicari; respondetque in hac propositione verbum est extrahi à sua significatione, quia hoc verbum significat existere, in præsentis autem tantum adducitur ad significandam connexionem inter hominem, & animal; quando verò retinet suam si-

Franc. de Oniedo, Philosoph. Tom. I.

gnificationem, sicuti in hac propositione *Petrus est*, tunc prædicari affirmat de subiecto, quia propositio illa æquiualeat huic *Petrus est ens*. Probabiliter potest hæc doctrina defendi, præcipue cum res sit parui momenti, verum tamen expeditiorem cenfeo esse interpretationem ex Toletio relata. Neque in opinione Fonseca necesse est dicere verbum est extrahi à sua significatione, cum dicitur *Petrus est animal*, quia adhuc in hac propositione prædicatur de subiecto participium verbi inclusum in hoc prædicato *animal*, quod non exprimitur, ne semel ponatur ex parte prædicati, sicuti non dicimus *Petrus est animal homo*, sed *Petrus est homo*, quia animal continetur in homine; quæ etiam ratione ens continetur in animali. Id quod explicauit Fonseca in sua definitione dicens verbum significare non cum quocumque tempore, sed cum tempore de præsentis, explicuit Toletus dicens, *verbum esse vocem rectam*, quo adiectiuo excludit omnia tempora distincta à præsentis Indicatiui, in reliquis omnibus cum Fonseca conuenit, & cum utroque tota Summulistarum turba, neque res est maiori examine digna.

## PUNCTUM II.

De Oratione, & Enunciatione.

**A**ristoteles libr. 1. de interpretatione cap. 4. orationem definit his verbis: *Vox significatiua, cuius partium aliqua significatiua est separata.* Definitionem hanc admittunt Toletus, & Fonseca, & ferè omnes auctores, qui notant Aristotelem non intendisse significare per illam particulam *cuius aliqua partium*, vnam tantum partium orationis fore significatiuam, sed vnam tantum assignasse, quia hæc sufficiebat ad distinguendam Orationem à Nomine, & Verbo, quæ nullâ parte significatiua gaudet. Eo ipso quod Oratio dicatur vox vna, & partes illi assignentur, significatur has habituras inter se aliquam coherentiam, seu aliquam vñionem, alias non dicerentur vna vox, neque constituerent vnum totum, cuius essent partes. Ex hoc inferes voces has, *ignis, lapis, lignum*, orationem non esse, quia nullam inter se congruentiam habent. Ex quo capite dimanauit alia orationis definitio, videlicet *plures dictiones congruè se habentes*, quæ definitio satis consona est menti Aristotelis, & ex nullo capite reici potest. Dictionum congruentia, quam exposcit hæc definitio, & vñio dictionum quam requirit definitio Philosophi, vt modò dicebam, poterit esse quæcumque Grammaticalis congruentia, vel coniunctio aliqua, ex vi cuius vtrumque extremum casu cohareant, sicuti cum dicimus *Petrus est Ioannes*.

**P**ater Hurtadus vt terminum complexum distinguat ab oratione, asserit ad orationem requiri congruentiam nominis cum verbo, & orationem definit: *Vox significatiua composita ex nomine & verbo multo congruentibus.* Definitionem hanc consonam esse ait Grammaticorum sententiæ, qui notitias, seu orationes diuidunt in duas actiuas, duas passiuas, aliamque Imperfonalis verbi, in quibus omnibus verbum reperitur. Quidquid sit de mente Grammaticorum, retinenda est definitio tradita à Philosopho, quam gratis deserit Hurtadus, & cui immeritò propriam præfert. Neque suâ definitione difficultatem fugit, quam intendebat vitare, quia oratio composita ex nomine, & verbo, integræque propositione potest esse terminus complexus, vt contingit in hac propositione, *Petrus currit est propositio*. Quomodo autem differant terminus complexus, & oratio, dixi dum naturam termini complexi explicabam, vbi etiam explicui quomodo nomen *Proconsul*, verbum *circumfero* non sint plures dictiones, ex quo ibi inferbam non esse terminos complexos, & modò infero non esse orationes.

**D**ocet Pater Fonseca libr. 3. cap. 1. duobus modis posse orationem componi ex dictionibus per se significantibus in ipsa: altero explicitè, seu expressè, vt si dicas, *nullus homo, nullo tempore, in omni loco, in omni tempore*. Altero implicitè, & virtute, vt si dicas *Nemo, nunquam, oblique, semper*. Aitque quod etiam si hæc dictiones voce non sint orationes, significatione tamen orationes censendas esse, quia idem conceptus respondet huic simplicis voci *Nemo*, qui respondet huic complexo *nullus homo*.

B 2 quia



quia apud Dialecticos significationis potius, quam vocis ratio habenda est. Propter eandem rationem asserit vocibus his

*Aio te Rurda Romanos vincere posse,*  
 duplicem propositionem proferri iuxta duplicem sensum, quem habere possunt, vnam respondentem his vocibus *Aio te posse vincere à Romanis* his alteram *Aio Romanos posse vincere à te*. Doctrinam hanc non improbo, & plus quam medio-cris fundamento excogitatum esse censeo.

4 Duplex est Oratio: quedam perfecta, alia imperfecta; Oratio imperfecta dicitur, quæ suspensum relinquit audientis animum, perfectumque non generat sensum; veluti *lectionem legis, lectionem legere*, alique huiusmodi. Oratio perfecta dicitur, quæ perfectum generat sensum, & quæ auditæ mens quietit audientis, veluti cum dicitur:

*O mihi post nullo inquam memorande sodales,*

5 Ex orationibus perfectis quedam sunt enunciativæ, alie non enunciativæ. Oratio enunciativa propositio dicitur, idemque est inquirere quid sit oratio enunciativa, ac interrogare quid sit propositio. Oratio enunciativa, seu propositio vulgò definitur: *Propositio est oratio quæ auditæ possumus respondere, verum dicis, vel falsum dicis*. Alio modo: *Oratio continens veritatem, vel falsitatem*. Exemplum accipe in his orationibus *Petrus currit, Ioannes legit*, quæ sine veritate, aut falsitate non proferuntur. Oratio ergo non enunciativa erit, quæ neque veritate, neque falsitate gaudet; veluti cum dicimus: *Vtinam vacasses literarum studio*.

6 Prædictæ propositionis definitiones rectè cum definito correspondent, & satis clarè rem explicant, verumtamen aptior alia querenda est, quia hæc per disunctionem naturam propositionis explicant, quæ in quantum fieri possit in definitione vitanda est, quia duplicem reddit definitionem, quarum vna parti cuidam definiti, seu quibusdam inferioribus rationis communis, quæ definitur, & altera alteri parti, seu aliis inferioribus convenit. Definienda ergo est propositio, oratio ex vi cuius vnum de alio enunciat, seu oratio in qua vnum de alio dicitur, quæ definitione satis clarè natura propositionis proponitur, ex terminis enim ipsis notum est omnibus, quid sit dici vnum de alio. Convenit etiam hæc definitio omnibus propositionibus, & nulli non propositioni, quia ubi vnum de alio enunciat, est subiectum de quo aliud enunciat, seu dicitur, & prædicatum, quod de illo vno dicitur; subiectum autem, & prædicatum in omnibus propositionibus, & in illis tantum reperitur. Insuper ubi est subiectum, & prædicatum, veritatem, aut falsitatem, quæ sunt propriæ affectiones propositionum, reperiri necesse est. Circa hanc definitionem advertas enunciatum vnum de alio, seu vnum de alio dici, extendi ad affirmationem, & negationem convenientiæ inter prædicatum, & subiectum, veluti cum dicitur *Petrus est albus*, & cum dicitur *Petrus non est albus*, quia tunc de illo enunciatum esse non album.

### PUNCTUM III.

De materia, forma, qualitate, & quantitate Propositionis, & de signis hanc indicantibus.

1 **M**ateria propositionis sunt subiectum, & prædicatum quatenus inter se dicunt ordinem. Ordo iste triplex est, ideo triplex materia propositionis assignatur. Aut enim prædicatum necessarîo coniungitur cum subiecto, & tunc materia propositionis necessaria, seu naturalis dicitur, veluti in hac propositione *homo est rationalis*. Aut prædicatum repugnat subiecto, veluti in hac propositione *homo est lapis* tunc materia remota, repugnans, & impossibilis solet appellari. Aut prædicatum contingenter convenit subiecto, veluti in hac propositione *homo est albus*, & tunc materia propositionis contingens appellatur. Materia naturalis dividitur in essentialiam, veluti in hac propositione, *homo est animal*, in qua prædicatum est de essentia subiecti, & in purè naturalem, veluti in hac propositione, *homo est risibilis*, cuius prædicatum est extra subiecti essentialiam. Item contingens dividi potest in naturalem, veluti *homo est albus*, cuius prædicatum naturaliter accidit subiecto; & in supernaturalem, veluti *homo est charus Deo*, cuius prædicatum supernaturale est respectu subiecti. In materia necessaria propositio affirmativa semper est vera, negativa semper est falsa. In materia remota, propositio affirmativa semper

est falsa, & negativa semper est vera. In materia contingenti tam propositioni affirmativæ, quam negativæ aliquando veritas, aliquando falsitas contingit.

2 Forma propositionis Categorice est copula est secundum se sumpta, vel affecta negatione; secundum se sumitur cum dicimus *Petrus est albus*, cum verò dicimus *Petrus non est albus* copula est non secundum se, sed ut affecta negatione propositionem constituit, & illius est forma. Ex hoc inferes formam propositionis negativæ, & affirmativæ essentialiter esse distinctas, & propositiones ipsas inter se essentialiter differre. Ratio est facilis: forma huius propositionis *homo est animal*, & sic de quacunque alia affirmativa, est connexio, coniunctio, & vno inter extrema, quapropter propositio affirmativa vocatur ab Aristotele compositio; forma verò propositionis negativæ, v.g. *Petrus non est equus*, est separatio, disunctio, & divisio extremorum. Ideo Aristoteles propositionem negativam divisionem vocabat. Sed separatio, disunctio, & divisio differunt essentialiter à compositione, coniunctione, & vniione: ergo forma propositionis negativæ essentialiter differt à forma propositionis affirmativæ: ergo non est utriusque forma copula est eodem modo se habens, sed in propositione affirmativa, sumpta secundum se; & in negativa, negatione affecta. Ex hoc inferes differentias propositiones affirmativæ, & negativæ esse essentielles respectu propositionum, quas faciunt essentialiter differre, malèque ad qualitatem propositionis referri esse affirmativam, vel negativam, quod ut probatum est ad illius essentialiam spectat. Propositio affirmativa dicitur illa, cuius præcipua copula affirmat, & propositio negativa dicitur illa cuius præcipua copula negat. Vnde si negatio copulam non afficiat, propositio erit affirmativa, veluti cum dicitur *Petrus est non lapis*. Additur cuius præcipua copula, propter alias copulas minis principales, de quarum affirmatione, aut negatione ratio habenda non est, ad cognoscendam propositionem affirmativam, aut negativam, veluti cum dicitur *Petrus, qui non loquitur ambulat*, quæ propositio est affirmativa, est verbum, loquitur sit negatum, quia hoc non in se continet præcipuam copulam, quæ in verbo *ambulat* continetur, quod affirmatur, & ideo propositio affirmativa dicitur. Similiter cum dicitur *Petrus, qui loquitur non ambulat*, propositio est negativa, quia præcipua copula est negata, est alia minis præcipua sit affirmata. Formam propositionis hypotheticæ, quæ formaliter constituitur in ratione propositionis, esse verbum est immediatè annexens extrema in propositione affirmativa, in qua secundum se sumitur, aut illa diuidens in propositione negativa, in qua negatione afficitur, ostendam Punct. 4.

3 Qualitas propositionis, illius veritas, vel falsitas est dicenda, quam accidens esse propositionis aliquid illi extrinsecum importans ostendat *Controvers. 7. de Anima*, quam totam instituit de veritate, & falsitate propositionis, ubi nonnulla circa hanc materiam late tradam.

4 Quantitas propositionis est extensio subiecti ad suum significatum, vel ad sua significata. Hæc est quadruplex, quedam universalis, cuius nomen est commune affectum signo vniuersali disponenti distributivè, veluti *omnis homo currit*. Alia particularis cuius nomen est signo particulari affectum, veluti, *aliquis homo currit*. Alia indefinita, cuius nomen est commune nullo signo affectum, veluti, *homo currit*. Alia singularis cuius nomen est singulare, vel commune signo demonstrativo affectum, veluti, *Petrus currit, hic homo currit*. Signa, quæ ex parte prædicati se tenent, non constituunt propositionem quantam, ideo hæc propositio *Petrus est omnis homo* singularis est, est ex parte prædicati signo vniuersali afficiatur. Nomina obliqua se tenentia ex parte subiecti quado nullo signo afficiuntur quantitatem propositionis non constituunt, hæc enim propositio, *omnis equus Petri currit*, vniuersalis est, est ex parte subiecti nomen singulare *Petrus* in obliquo ponatur. Quod si hi casus obliqui afficiantur signo vniuersali affirmativo, tale signum distribuet significatum casus obliqui, & ad quantitatem propositionis non spectabit, veluti cum dicimus *omnis hominis equus currit*, propositio erit particularis, & terminus *equus* sub disunctione resolvetur, eritque idem ac dicere: *omnis hominis aliquis equus currit*, hoc est, huius hominis vel hic equus currit, vel hic equus currit, &c. & huius hominis vel hic equus currit, vel hic equus currit, & sic de aliis semper cum



cum distributione casus obliqui, & disunctione termini equus, qui est in recto, & subiectum propositionis dicitur. Eadem ratio erit, proportionem seruata, si casus obliquus afficiatur signo particulari affirmatiuo, veluti cum dicitur, *alicuius hominis omnis equus currit*, tunc signum obliquum *alicuius* disjungit casum obliquum, quem afficit, & terminum *equus* intactum relinquit, qui ex vi signi *omnis*, quo afficitur, distribuitur supponit, totaque propositio sic distribuitur, huius hominis hic equus currit, & hic equus currit, &c. vel huius hominis hic equus currit, & hic equus currit, &c. & tunc verificabitur propositio, cum inueniatur vnus homo, cuius omnes equi sint currentes.

De signis negatiuis afficientibus casus obliquos non eadem est habenda ratio, vt plurimum enim hæc signa vniuersalia afficiunt præcipuum subiectum, licet aliquando possint illud non afficere; cum enim signum negat possessionem significari in obliquo respectu recti, quam arguebat casus obliquus, tunc signum vniuersale negatiuum tantum afficit obliquum significatum propositionis, quod immediatè afficit: cum vero hanc possessionem non negat, non solum distribuit obliquum significatum, sed etiam subiectum præcipuum propositionis significatum in recto. Exempli gratia, hæc propositio. *Equus nullius hominis currit* potest habere hunc sensum, equus qui nullus est hominis, seu, equus non possessus ab homine, currit, & tunc signum *nullius* tantum afficit terminum obliquum *hominis*, & præcipuum subiectum *equus* eodem modo relinquit, quapropter propositio erit singularis, & hæc ratione resoluenda. Hic equus, qui non est huius hominis, neque huius hominis, neque huius hominis, neque huius hominis, vel hic equus qui non est huius hominis, neque huius hominis, currit, & sic de aliis, semper cum distributione termini *hominis*, & disunctione præcipui termini, subiectique propositionis *equus*. Potest insuper prædicta propositio hunc sensum efficere, nullus datur homo cuius omnes equi currant, & tunc terminus *nullus* totam propositionem afficit, & terminum *equus* qui ex vi signi *omnis* supponebat distribuitur, facit supponere disunctionem, & propositio hoc modo distribuenda est: huius hominis vel hic equus non currit, & huius hominis vel hic equus non currit, vel hic equus non currit, &c. semper cum distributione termini *hominis*, & disunctione termini *equus*, dicere enim, nullus est homo, cuius omnes equus currant, idem est ac dicere, nullus est homo in his, qui equos possident, cui non sit aliquis equus, qui non currat. Quod si prædictam signum obliquum inueniret terminum *equus* non distributum, seu supponentem disunctionem, illum distribueret, quia signum negatiuum destruit, quod inuenit, & terminum supponentem distribuit, facit disunctionem supponere; & illum qui disunctionem supponebat, facit supponere distribuitur: quare hæc propositio *nullius hominis aliquis equus currit*, hoc modo resoluenda est neque huius hominis hic equus currit, neque hic equus currit, &c. Deinde neque huius hominis hic equus currit, neque hic equus currit, &c. distribuendo semper terminum *hominis*, & sub quocumque singulari illius omnia singularia termini *equus*.

Sunt etiam alia signa mixta, quæ in se categoremata aliquod includunt veluti *nunquam*, *semper*, *aliquando*. Ex his affirmatiua veluti *semper* & *aliquando* tantum suum categoremata, non verò quantitatem propositionis constituunt nec metiuntur, hæc enim propositio *semper homo currit* particularis est, etsi tempus significatum hoc signo *semper* vniuersaliter supponat, quia præcipuum subiectum propositionis supponit particulariter, & ita prædicta propositio resoluenda erit; in hoc tempore hic homo currit, vel hic homo currit, &c. & in hoc tempore hic homo currit, vel hic homo currit, &c. & sic de aliis. De hoc signo *aliquando* proportionem seruata eodem modo iudicium ferendum est, tantum enim disjungit suum categoremata pro quo particulariter supponit, & nullo modo afficit præcipuum subiectum in ordine ad propositionem quantificandam, quapropter hæc propositio, *aliquando omnis homo currit*, vniuersalis est, etsi signum *aliquando* sit particulare.

Aliter contingit in hoc signo vniuersali negatiuo *nunquam*, quod non solum suum categoremata, sed præcipuum subiectum propositionis afficit, quod distribuit, si non inuenit distributum, & disjungit si inuenit distributum; refundit enim suam negationem supra subiectum

præcipuum, & supra copulam propositionis, quæ negatio cum malignantis sit nature, totum quod post se inuenit destruit. Ideo propositio ista *nunquam homo currit*, seu *nunquam aliquis homo currit*, hoc modo resoluenda; neque in hoc tempore currit hic homo, neque hic homo, &c. Deinde neque in hoc tempore currit hic homo, neque hic homo, & sic de aliis distribuendo semper terminum *nunquam*, & sub quocumque singulari illius terminum *homo* secundum omnia singularia quæ continet. Hæc autem propositio, *nunquam omnis homo currit*, ita est resoluenda, neque in hoc tempore currit homo: & sic de aliis non distribuendo terminum *homo* per propositiones negatiuas, sed illum hoc modo disjungendo; in hoc tempore vel hic homo non currit, vel hic homo non currit, & in hoc tempore vel hic homo non currit, vel hic homo non currit, & sic de aliis semper cum distributione termini *temus* & disunctione termini *homo*. Ex hac doctrina inferes hanc propositionem *nunquam aliquis homo currit* esse vniuersalem, quia illius præcipuum subiectum *homo* distribuitur supponit, & propositionem istam *nunquam omnis homo currit* esse particularem, quia illius præcipuum subiectum *homo* disunctionem resolutur.

In hac propositione *aliquis homo nunquam currit*, quæ hunc potest efficere sensum, datur vnus determinatus homo qui nullo tempore currat, seu qui semper quiescat, signum *nunquam* suum tantum afficit categoremata, & præcipuum signum intactum relinquit, quapropter prædicta propositio particularis erit. Idem iudicium ferto de hac propositione *omnis homo nunquam currit*, si illius sensus sit de quocumque indiuiduo homine posse verificari nunquam currere, seu non posse verificari quod aliquando currat. Ratio propter quam signum *nunquam* in his propositionibus præcipuum subiectum non afficiat, est, quia non reddit propositiones negatiuas, quod præstat in prioribus, quarum subiecta afficit, hæc enim propositio *aliquis homo nunquam currit*, hoc est, datur aliquis homo, qui nullo tempore currat, affirmatiua est, hæc autem negatiua *nunquam aliquis homo currit*, hoc est, non datur tempus aliquod in quo aliquis homo currat. Secundum hanc doctrinam dicendum est hanc propositionem *aliquis homo nunquam currit*, in sensu explicato particularem esse, hancque esse vniuersalem *omnis homo nunquam currit*, in eodem sensu de sumptam.

Hæc signa *utroque*, & *neuter* mixta dici solent, quia disjungunt binaria, & distribuunt vnitates, hæc enim propositio *utroque homo currit*, ita resolutur: ex his duobus iste & iste currit, vel ex his duobus iste & iste currit, & sic de aliis semper cum disunctione binariorum, & distributione vnitatum. Eadem ratione resolutur hæc propositio *neuter homo currit*; horum duorum neque iste neque iste currit, vel horum duorum neque iste, neque iste currit, & sic de illis cum disunctione binariorum, & distributione vnitatum. Signum *alter* opposito modo resolutur cum distributione binariorum, & disunctione vnitatum, exempli gratia, *alter homo currit*, horum duorum iste vel iste currit, & horum duorum iste vel iste currit, & sic de aliis cum distributione binariorum, & disunctione vnitatum. Iuxta prædictam doctrinam propositiones istæ *neuter homo currit*, *utroque homo currit*, *alter homo currit*, mixtæ essent dicende, duæ priores vniuersales respectu vnitatum, & particulares respectu binariorum, & posterior vniuersalis respectu binariorum, & particularis respectu vnitatum, vsu tamen receptum est, duas priores dici vniuersales, & posteriorem particularem appellari.

Coniunctio & propositionem vniuersalem constituit, quando coniungit extrema de quorum quolibet potest predicatum verificari, veluti cum dicimus: *Petrus & Ioannes currunt*, tunc enim illa propositio in has duas resolutur, *Petrus currit*, & *Ioannes currit*, in quibus distribuitur subiectum prioris. Quando verò coniungit extrema, de quibus tantum simul sumptis verificatur predicatum, vnum ad integrat subiectum, quod non potest in inferiora distribui, & ita propositio vniuersalis non est: sic accidit cum dicimus, *Petrus & Ioannes portant totum pondus*, tunc enim *Petrus*, & *Ioannes* vnum subiectum indiuisibile, & resoluibile in alia subiecta respectu eiusdem predicatorum continent. Disunctio *vel*, semper propositionem particularem constituit, hæc enim propositio *Petrus vel Paulus currit*, æquiualeat huic: ex *Petro* & *Paulo* aliquis currit.



II Signa numeri pluralis veluti *omnes*, *nulli*, *aliqui*, distribuantur, vel disiunguntur per binarios, quorum unitates copulatim somuntur, quapropter hæc propositiones vnam tantum propositionem habent. Exempli gratia, hæc propositio, *nulli homines currunt*, resoluenda est; neque hi homines currunt, neque hi homines currunt, &c. non tamen iterum potest fieri resolutio; hi homines non currunt: ergo hic homo non currit, & hic homo non currit, aliis non distinguerentur ex modo significandi hæc propositiones *nullus homo currit*, & *nulli homines currunt*. Hæc ita dicenda sunt ut propositiones contradictorie oppositæ numeri pluralis, rectè & commodè possint assignari, & strictè loquendo vera sunt, in communi tamen modo loquendi in his propositionibus ad ultimam usque unitatem fit resolutio.

12 Hæc omnia quæ de quantitate propositionis, & signis illam constituentibus fuisse dixi, apprimè debet obseruare recens Dialecticus, ne illi duplex propositio contradictoria, vtrique vera, aut vtrique falsa appareat, quæ si percaleat dexterè, poterit cuicumque propositioni suum contradictorium assignare: aliter in duplex contradictorium vtrumque verum, vel vtrumque falsum passim incidet.

## PUNCTUM IV.

*Diuiditur propositio in Categoricam & Hypotheticam & vtriusque essentia explicatur.*

I Elebris est diuisio propositionis in Categoricam, & Hypotheticam, quæ vulgò sic definiuntur. Propositio Categorica est, quæ constat subiecto & prædicato tanquam partibus proximis. Propositio Hypothetica dicitur, quæ constat subiecto & prædicato tanquam partibus remotis. Non acquiesco, quia hæc propositio, quæ in omnium opinione hypothetica est, si *Sol luceret, dies esset*, non constat subiecto, & prædicato tanquam partibus remotis, hoc enim est constare immediatè partibus, quarum quælibet, vel aliqua illarum constat subiecto & prædicato, quod in hac propositione non contingit, in qua nullam partem poteris assignare, quæ subiectum, aut prædicatum includat, siue enim assumas partem hanc *si Sol luceret*, siue alteram *eligas dies esset*, vtramque subiecto & prædicato carentem inuenies.

2 Huic argumento posset solutio adhiberi iuxta definitionem aliam propositionis hypotheticæ, quam nonnulli adducunt, videlicet: *Propositio hypothetica est, quæ constat duabus categoricis, vel earum locum habentibus*. Exemplum propositionis hypotheticæ constantis duabus categoricis esto hæc hypothetica, *Petrus legit, & Ioannes audit*; exemplum autem hypotheticæ constantis extremis habentibus locum duarum categoricarum ministrat hæc propositio, *si Sol luceret, dies esset*. Contra priorem definitionem ostendam postea omnem propositionem constare subiecto, & prædicato tanquam partibus proximis; & contra posteriorem probabo complexum illud *Petrus legit & Ioannes audit*, non esse simplicem propositionem hypotheticam, sed duplicem categoricam continere cum ipsarum distinctione. Modò tamen rogo cur fingat hæc opinio in hac propositione, *si Sol luceret, dies esset*, extremum istud *si Sol luceret*, obtinere locum vnius categoricæ, & extremum alterum *dies esset* aliis categoricæ vices gerere. Dices quia substituuntur loco duarum categoricarum, quæ debebant inesse propositioni hypotheticæ. Contra huic propositioni, *si Sol luceret, dies esset*, implicat duæ categoricæ inesse, quia per se ipsam constat extremis quibus de facto componitur, & alia quæcumque illi repugnant. Secundò gratis supponitur omnem hypotheticam debere constare duabus categoricis. Tertiò ex suppositione quod debeat constare omnis propositio hypothetica duabus categoricis, vnde inferes extrema huius propositionis *si Sol luceret, dies esset*, poni loco duarum propositionum categoricarum? ego enim asseram poni loco duarum definitionum, vel duarum demonstrationum, quibus fingam hypotheticam debere constare. Hæc omnia frigidè dicuntur, & sine ardore sunt impugnanda. Mitto etiam Auctores definiētes propositionem hypotheticam per duas categoricas quibus constare affirmant, non explicare, quid sit propositio categorica, quæ si prius non cognoscatur, cognosci non

poterit, quæ propositio constet duabus categoricis, & hypothetica sit.

Proprius ad rem accessit Hurtadus disp. 3. sect. 3. qui asserit propositionem categoricam esse propositionem absolutam & se sola significatiuam; Propositionem vero hypotheticam expressè non definit, sed hæc subiicit: *Exemplum autem propositionis aliunde pendens sit: si Petrus uenerit loquatur, subiectum cum prædicato nectitur non absolute, sed cum dependentia*. Ex quibus ad mentem huius Auctoris hanc infero definitionem: *Propositio pendens aliunde, vel, ut ipse explicat, cuius subiectum cum prædicato nectitur non absolute, sed cum dependentia ab alio*. Hæc si rectè explicentur, existimo vera esse; nihilominus ut iacent, rem non declarant, non enim Hurtadus definit, an propositio constet subiecto & prædicato tanquam partibus proximis aut tanquam partibus remotis, neque hæc extrema assignat in propositionibus conditionalibus, quæ potissimè hypotheticæ sunt. Deinde hoc quod est propositionem esse se sola significatiuam, quod proprium esse ait propositionis categoricæ, commune est omni propositioni, hæc enim propositio hypothetica, *si Sol luceret dies esset*, se sola est significatiua, si integra & secundum se totam sumatur.

Sentio omnem propositionem siue categoricam, siue hypotheticam constare æquè primariò & per se subiecto & prædicato tanquam partibus proximis. Probo facile: Omnis propositio est enunciatio vnius de alio; ergo in omni propositione datur vnum de quo enunciat, quod est subiectum; & aliud, quod enunciat, quod est prædicatum; ergo omnis propositio constat subiecto & prædicato. Deinde hæc extrema, seu hoc subiectum, & hoc prædicatum immediatè annectuntur copulæ est; ergo immediatè componunt propositionem. Secundò omnis propositio est iudicium, quod essentialiter est cognitio, quæ cognoscitur conuenientia duorum extremorum; ergo omne iudicium seu omnis propositio dicit vnum extremum cui aliud conuenit, & aliud, quod conuenit, quorum hoc prædicatum; illudque, subiectum nuncupantur. Neque iuvat dicere hypotheticam habere subiectum, & prædicatum remotum; quia iudicium immediatè enunciat vnum de alio, & immediatè fertur in conuenientiam extremorum; ergo immediatè respicit illud, quod enunciat, videlicet prædicatum, & illud de quo enunciat scilicet subiectum; ergo dicit subiectum & prædicatum tanquam extrema immediatè affecta copulæ est; ergo tanquam partes immediatè componentes propositionem. Insuper impugnauit iam hunc dicendi modum, dum refelli definitionem propositionis categoricæ, quæ constat subiecto & prædicato tanquam partibus proximis.

Assero insuper formam, quæ propositio hypothetica constituitur formaliter propositio, seu in ratione propositionis, esse copulam est non alias particulas, quia, si, ergo, & vel, quæ vulgò assignantur. Dixi, quæ propositio hypothetica constituitur in ratione propositionis, quia distinguenda est forma, quæ propositio hypothetica constituitur, formaliter propositio, à forma, quæ hypothetica constituitur, sicut in propositione categorica vniuersali distinguitur forma, quæ constituitur in ratione propositionis, à forma quæ vniuersalis constituitur; hæc enim in hac propositione *omnis homo est animal*, est signum omnis; illa verò copulæ est. Conclusionem sic explicatam probo. Propositio hypothetica dicit formaliter enunciationem vnius de alio, & conuenientiam vnius de alio. Sed enunciatio, & conuenientia tantum significatur per copulam est: ergo tantum copulæ est significat formam propositionis. Maior constat ex sæpe dictis; Minor ex terminis constat, quia particula *quia*, *si ergo*, & *vel*, non significant conuenientiam cum prædicato.

Forma, quæ propositio hypothetica constituitur in ratione hypotheticæ tantum est particula si. Hanc particulam constituere propositionem conditionalem hypotheticam formaliter facile euinco. Propositio hypothetica constituitur formaliter talis, per id, ex vi cuius differt à categorica. Sed propositio conditionalis, quæ est hypothetica in omnium sententia, tantum differt à categorica per particulam si: ergo per hanc constituitur formaliter hypothetica. De reliquis particulis *quia*, *ergo*, & *vel*, constabit ex his quæ iam subiicio, quibus probo propositionem causalem, rationalem, coniunctiuam, & disiunctiuam,



etiam, rationem hypotheticam non habere.

7 His premis propositionem hypotheticam sic definio:  
Propositio hypothetica est illa, cuius predicatum restringitur per additum, significando tantum dependentiam, & non inesse. Hæc definitio recte explicat naturam propositionis conditionate, quia in hac propositione, si Sol lucet dies est, existentia diei non vitumque prædicatur, sed cum dependentia à Sole, neque absolute dicitur lucem existere dependentem à Sole, sicuti prædicatur in hac propositione lux est producta à Sole, sed tantum enunciat ex suppositione appositæ conditionis si Sol lucet. Insuper definitionem esse exactam sic probat. Propositio hypothetica est propositio, in qua fit enunciatio ex hypothese, seu ex suppositione; ergo in illa non debet enunciari prædicatum absolute, sed cum addito, ex vi cuius significatur dependentia, seu connexio ab illo addito, quæ nihil dicit in esse absoluto, seu nihil ponit in esse, quia ex hoc modo significandi, qui strictè reperitur in hac propositione si Sol lucet dies esset, neque in esse ponitur existentia Solis, neque existentia lucis aut diei, nullo enim illorum existente prædicta propositio suam retinet veritatem. Ex his inferes in hac propositione si Sol lucet, dies est, prædicatum affici conditione quod est existens, si Sol lucet: illa enim propositio si Sol lucet, dies est, formaliter reddit hunc sensum: Sol est existens, si Sol lucet, ubi additum illud si Sol lucet prædicato appositum facit propositionem nihil ponere in esse, sed tantum significare connexionem, seu dependentiam inter subiectum, & prædicatum.

8 Ex hac definitione inferes malè assignari propositionem causalem inter hypotheticas, quia in illa existentia prædicati absolute enunciat, veluti cum dicitur, quia Sol lucet, dies est, quæ propositio Sole non existente vera non erit, quia ex vi illius absolute prædicatur existentia diei, sicuti prædicatur in ista, Dies est existens productus à Sole lucente. Potiori ratione inter hypotheticas annuerenda non sunt propositiones coniunctivæ, disiunctivæ, & rationales, in quibus omnibus existentia prædicati absolute enunciat, & illam importat secundum existentiam copula est in propositione appositæ. Deinde propositio coniunctiva, Petrus currit, & Ioannes ambulat, non est simplex propositio, sed duplex categorica; ergo non est hypothetica. Probat Antecedens: auditæ hac propositione possum concedere priorem partem, & negare posteriorem, quia verum est Petrum currere, & falsum Ioannē ambulare; ergo hæc propositiones habent distinctam veritatem, & falsitatem; ergo non efficiunt simplicem propositionem, quia simplex propositio simplici veritate gaudet. Quod si velis ex duplici veritate unam confici, sicuti ex duplici propositione una propositio componitur, adhuc argumento non satisfas, quia etiam si ex duplici veritate tertia alia posset componi ex veritate & falsitate, nulla posset assurgere compositio: cum ergo in hac propositione coniunctiva Petrus currit, & Ioannes ambulat, prior pars possit esse vera, & posterior possit esse falsa, non potest ex falsitate prioris partis, & veritate posterioris confici tertia aliqua veritas, aut falsitas, quæ indistincte propositionem afficiat, sed falsitas partem unam, & veritas partem aliam afficiat. Propositio disiunctiva, verbi gratia, Petrus currit, vel Ioannes ambulat, hypothetica non est dicenda, quia importat absolutam existentiam prædicati, etsi non determinatè, sed sub disiunctione, sicuti hæc propositio particularis aliquis homo currit, quæ non magis hunc hominem currentem quam illum ex se importat. Hæc tamen disiunctiva propositio simplex est, & non multiplex, quia simplici veritate gaudet, cum enim dicitur Petrus currit, vel Ioannes ambulat, non licet respondere, Petrus currit, concedo hanc partem; Ioannes ambulat nego hanc partem, etsi de facto Petrus currit, & Ioannes non ambulet.

9 Rationalis propositio, v. g. Petrus currit, ergo movetur, quam Summulista inter hypotheticas recensent, neque est hypothetica, quia absolute prædicati existentiam importat; neque simplex, sed multiplex, quod probatur eadem ratione, quæ nuper idem probabam de propositione coniunctiva: quia illi inest duplex veritas, aut falsitas, auditis enim his vocibus, Petrus currit, ergo movetur, respondemus Petrus currit, concedo Antecedens: ergo movetur, concedo consequentiam, & sepe concessio antecedenti, seu priori propositione, posteriorem aliam, consequentiam videlicet negamus, cum consequens non est legitime illi sum.

10 Ex his deducitur hypotheticam differre à categorica ratione additi si afficientis illius prædicatum, ex vi cuius copula est, quæ absolutam existentiam ex se importat, illam tantum dicit conditionatam, ac proinde, etsi forma propositionis categoricæ, & hypotheticæ sit copula est, hæc propositiones inter se differunt essentialiter, quia copula est in hypothetica ratione additi tenentis se ex parte prædicati contrahitur ad significandam existentiam conditionatam prædicati, quam absolutam ex se nullo appposito addito in categorica propositione significat.

11 Obiicies contra definitionem propositionis hypotheticæ supra traditam: Hæc est propositio hypothetica, si Petrus est homo, est animal rationale, & tamen prædicatum non restringitur per additum aliquod extrinsecum, quia Petrus esse hominem, quod est additum tenens se ex parte prædicati ab hoc formaliter non distinguitur, & nihil potest esse additum respectu sui ipsius. Respondeo hinc est alias similes propositiones non esse conditionales, ut tradunt communiter Theologi in materia de scientia Dei, ac proinde non esse proprie hypotheticas, eadem enim ratione, & non aliâ, quâ propositio conditionalis dicitur, dicenda est hypothetica. Quia tamen huiusmodi propositiones instar conditionatarum significantur, & in illis utimur conceptu hominis ut distincto à conceptu animalis rationalis, ideo veluti hypotheticæ significantur, eodémque prædicato utimur, ac si sibi ipsi adderetur.

12 Obiicies ultimò, sequi ex eo, quod conditiones sint affectiones prædicatorum, has duas propositiones contradictorias Petrus dormiet, si ego legero: Petrus non dormiet, si ego legero, dari simul falsas. Sequela probatur. In primis prior propositio falsa est, quia falsum est dicere ex mea lectione sequi dormitionem Petri, quod enunciat prædicta propositio. Posterior similiter est falsa, quia ex vi illius enunciat non dormitionem Petri sequi ex mea lectione, sicuti ex vi prioris enunciat sequi dormitionem; quod similiter est falsum, quia ex mea lectione, neque sequitur dormitio Petri, neque negatio dormitionis Petri. Respondeo in omni opinione prædictas propositiones esse contradictorias, quia in omnium opinione sunt affirmatio, & negatio eiusdem de eodem, ac proinde omnes teneri prædicto argumento satisfacere. Pro omnibus tamen respondeo hanc propositionem Petrus non dormiet, si ego legero, quando est contradictorium huius propositionis Petrus dormiet, si ego legero, non facere hunc sensum, erit negatio somni Petri, si ego legero, sed hunc reddere, ex mea lectione non inferenda est dormitio Petri, in quo sensu non potest esse simul falsa cum sua contradictoria, in qua affirmatur dormitionem Petri inferendam esse ex mea lectione, casu quo hæc existat, & implicat mea lectione existenti inferri, & non inferri ex illa Petri dormitionem.

13 Ratio æquivocationis est; quia quando hæc propositio Petrus non dormiet si legero, est contradictorium huius, Petrus dormiet si legero, necessum est negationem cadere non solum supra copulam, sed supra particulam si legero, quia debet negare prædicatum utrumque, sed quatenus habet additum si legero, quod se tenet ex parte prædicati. Fateor clariùs & sine æquivocatione aliqua assignari pro contradictoria huius propositionis Petrus dormiet si legero, propositionem hanc Non si legero Petrus dormiet. Verumtamen nequit negari has esse contradictorias Petrus dormiet si legero: Petrus non dormiet si legero, licet posterior ista in sensu à me assignato sit explicanda, & alium habeat, qui in obiectione adducitur, in quo prioris propositionis contradictoria non est.

#### PUNCTUM V.

##### De Oppositione propositionum.

14 Ariaga disput. 2. sect. 4. Hurtadum impugnatur, qui sic Oppositionem definiuit: Oppositio est repugnantia duarum propositionum circa veritatem, vel falsitatem, quia hæc definitio solum est descriptiva per ordinem ad veritatem, vel falsitatem, quæ est qualitas propositionis, atque melius oppositionem sic esse definiendam: Repugnantia duarum propositionum in affirmatione, vel negatione. Etsi posterior hæc definitio detur per affirmationem, & negationem,

B 4 quæ



quæ sunt differentie essentielles propositionum; prior illa in ordine ad veritatem vel falsitatem, quæ sunt veluti passionem seu accidentia inseparabilia propositionum, ex hoc capite neutra reiicienda est, licet enim descripiuè per passionem, vel accidentia, aut essentialiter per differentiam essentialem quodlibet obiectum definire. Displicet mihi in definitione Arriagæ distinctio vel inter affirmationem, & negationem, quia non secundum vnam vel alteram, sed secundum utramque, repugnantiam habent omnes propositiones, in quibus ipse oppositionem agnoscit; cum vna affirmatiua, & altera negatiua necessario esse debeant. Displicet etiam utraque definitio, quia neutra amplectitur oppositionem, quæ est inter subalternantem, & subalternatam, quarum utraque necessario affirmatiua, vel utraque negatiua esse debent, & utraque simul vera, aut simul falsa esse potest, ut postea explicabo. In his autem oppositionem reperiri constat ex communi Summulistarum consensu, qui nomine Oppositionis subalternationem comprehendit, id autem nos debemus definire, quod apud communem modum loquendi oppositio dicitur.

2 Melius oppositionem definiuit Toletus his verbis: *Oppositio est duarum propositionum utroque extremo eodem ordine participantium secundum qualitatem, vel quantitatem repugnantia.* Adderem ego maioris claritatis gratia utroque extremo, eisdem circumstantiis, & affectionibus significato, eodem ordine, &c. Nomine qualitatis iuxta vulgarem loquendi modum affirmatio, & negatio hic intelliguntur. Definitionem hanc omnibus oppositionibus conuenire constabit, cum per singulas illius species discurremus, quod iam præsto.

3 Oppositio quadruplex est, *contradictoria, contraria, subcontraria, & subalternata.* Oppositio contradictoria est omnium maxima, quam definiuit Toletus, *repugnantia duarum propositionum secundum qualitatem, & quantitatem.* Non omnino placet hæc definitio, quia in his propositionibus, *Petrus currit, & Petrus non currit,* est oppositio contradictoria, & tamen non oppositio secundum quantitatem. Restringenda ergo est oppositio secundum quantitatem in definitione significata ad propositiones, quæ termino communi gaudent, & ita definitio conficienda. *Oppositio contradictoria est repugnantia duarum propositionum (subintellige semper, utroque extremo, eisdem circumstantiis, & affectionibus significato, eodem ordine participantium) secundum qualitatem, & secundum quantitatem in his propositionibus, quarum terminus est communis.* Huius oppositionis in his propositionibus exemplum accipe: *Omnis homo currit, Aliquis homo non currit.* Oppositio contraria est duarum propositionum vniuersalium secundum qualitatem repugnantia: exemplum sit in his propositionibus, *Omnis homo currit, Nullus homo currit.* Oppositio subcontraria est duarum propositionum particularium secundum qualitatem repugnantia, ut *aliquis homo est albus, aliquis homo non est albus.* Huiusmodi propositiones subcontrariæ dicuntur, quia sunt sub propositionibus vniuersalibus contrariis, *omnis homo est animal, nullus homo est animal,* sicuti inferius est sub superiore; & particulare sub vniuersali. In omnibus definitionibus nomine qualitatis affirmatio, & negatio debent intelligi, quæ verò oppositio secundum veritatem, & falsitatem in illis, reperitur, constabit ex infra dicendis. Oppositio subalternata est duarum propositionum in sola quantitate repugnantia, veluti *omnis homo est albus, aliquis homo est albus.*

4 Nomine qualitatis in prædictis definitionibus affirmationem, & negationem ut dictum est, intelligimus, explicanda est modò quæ repugnantia in his propositionibus oppositis secundum veritatem, & falsitatem reperitur. Propositiones contradictoriæ oppositæ in quacumque materia secundum veritatem, & falsitatem repugnantiam habent, ita ut eo ipso quod vna sit vera, altera necessario falsa esse debeat, & nunquam utraque vera, aut utraque falsa reperiantur; est enim oppositio contradictoria omnium maxima, in qua vna propositio dicit non esse id, quod altera esse affirmat, cum idem non possit simul esse & non esse, sed necessario sit aut non sit: quando est propositio affirmans est vera, & altera negans est falsa; & quando non est, negatiua propositio veritatem, & affirmatiua falsitatem habet. Propositiones contrariæ in materia naturali, & remota secundum veritatem, & falsitatem

opponuntur, ut patet in his propositionibus, *Omnis homo est animal, Nullus homo est animal; Omnis homo est equus, Nullus homo est equus.* Ratio est, quia in materia necessaria prædicatum necessario conuenit omnibus indiuiduis, & ita propositio affirmatiua vniuersalis necessariam habet veritatem & eo ipso quod necessario prædicatum omnibus conueniat, repugnat alicui non conuenire, & ita necessario falsum est dicere nulli conuenire; quod propositione contrariâ negatiua enunciatur. Inuerso ordine idem contingit in materia remota, quia in hac prædicatum cuiusque indiuiduo repugnat, ideo verè de omni indiuiduo negatur, & falsò de quocumque illorum, & de omnibus simul affirmatiua dicitur. In materia contingenti utraque propositio potest esse falsa, quia cum prædicatum sit contingens, potest his & non aliis indiuiduis conuenire, & eo ipso quod his conueniat, propositio vniuersalis negatiua, verbi gratia, *nullus homo est albus,* falsitatem habet; & eo ipso quod non conueniat aliis, vniuersalis negatiua *omnis homo est albus,* falsa est. Non potest autem adhuc in materia contingenti utraque propositio contraria veritatem habere, quia ex duplici contraria vera, verbi gratia, *omnis homo est albus, nullus homo est albus,* duplex inferitur contradictoria simul vera, quod haud difficile ostenditur. Eo ipso quod hæc propositio sit vera, *omnis homo est albus,* hæc particularis sub illa contenta, *aliquis homo est albus,* est vera: ergo eo ipso quod vera sit duplex hæc propositio: *Omnis homo est albus, Nullus homo est albus,* vera erit hæc propositio *aliquis homo est albus,* cuius veritatem infero ex affirmatiua vniuersali: ergo simul erunt veræ hæc propositiones, *Aliquis homo est albus, & Nullus homo est albus,* quæ sunt contradictoriæ. Idem continget si ex hac propositione, *Nullus homo est albus,* hanc inferas, *Aliquis homo non est albus,* quæ simul cum sua contradictoria veritatem habebit.

Propositiones subcontrariæ in materia necessaria, & impossibili secundum veritatem & falsitatem repugnant, & necessario vna debet esse vera & altera falsa, quæ repugnantia ex eodem capite in his, ac in contrariis procedit. In materia contingenti utraque potest esse vera, quia ex pluribus hominibus existentibus potest hic habere albedinem, & ille albedine carere, & eo ipso quod hic albedinem habeat hæc propositio *aliquis homo est albus* est vera; & eo ipso quod ille albedine careat, propositio hæc *aliquis homo non est albus* est vera, & ita potest simul utraque propositio veritatem habere. Nunquam tamen potest utraque propositio subcontraria esse falsa, aliàs daretur duplex contradictoria simul falsa, quia eo ipso quod hæc propositio *aliquis homo est albus* sit falsa, hæc similiter erit falsa *omnis homo est albus*: ergo si aliàs falsa sit altera subcontraria prioris propositionis particularis videlicet *aliquis homo non est albus,* hæc propositiones *Omnis homo est albus, & Aliquis homo non est albus,* quæ sunt contradictoriæ, erunt simul falsæ.

Propositiones subalternæ in materia necessaria, & remota simul veræ, aut simul necessario esse debent, quia in his materiis eadem est necessitas, aut repugnantia subiecti vniuersalis, & particularis respectu prædicati. In materia contingenti potest vniuersalis esse falsa, & particularis esse vera, quia potest alicui indiuiduo prædicatum conuenire, aut non conuenire, & non omnibus. Si verò particularis falsa sit, vniuersalis necessario falsitatem habebit, quia id non potest de vno aut altero dici, aut negari, multò minus de eodem & de aliis simul cum ipso poterit affirmari, aut negari.

Nonnulli non pauca præcepta tradunt circa oppositionem propositionum oppositarum, quæ omnia propriis definitionibus continentur. In primis enim propositiones oppositæ debent habere idem subiectum, & idem prædicatum, ob quam rationem hæc propositiones, *Petrus est albus; Petrus non est albus,* oppositionem non habent, quod in definitione oppositarum explicatur per illam particulam utroque extremo, &c. Deinde debent intelligi pro eodem tempore, & loco, & prædicatum eodem adiectiuo eisdemque aduerbiis, restrictione, ampliatione, & appellatione terminos affici; ob quam rationem hæc propositiones contradictoriæ non sunt, *Petrus currit, Petrus non currit,* quia non important idem tempus; *Petrus currit Matriti, Petrus non currit Toleti,* quia non significant eundem locum; *Petrus est homo, Petrus non est homo albus,* quia adiectiuum non est commune prædicato vtriusque



que; *Petrus currit, Petrus non currit* velociter, quia aduerbium positum in propositione negatiua, in affirmatiua non reperitur; *Petrus magnus est* Logicus, *Petrus non est* Logicus magnus, quia non seruat eadem appellatio: *Omne pallium Petri est nigrum*, *Plurimum pallium non est nigrum*, quia restrictio vniuersalis affirmatiua, in particulari negatiua non reperitur, & sic de aliis, quæ omnia in definitione oppositarum significantur illis particulis, eisdem circumstantiis, & affectionibus significatis.

Opportet etiam aduertere in propositionibus, quibus aduerbium inest, debere cadere negationem supra ipsum aduerbium, veluti cum dicimus, *Petrus essentialiter est albus* contradictoria opposita debet esse, *Petrus non essentialiter est albus*, si enim hæc redderetur, *Petrus essentialiter non est albus*, vtrique esset falsa, quia prior hunc faceret sensum, de essentia Petri est habere albedinem, quod est falsum; & posterior hunc redderet; de essentia Petri est non habere albedinem, quod similiter est falsum, quia neque albedo neque negatio albedinis sunt de illius essentia, sed illarum quælibet potest accidentaliter Petro contingere.

In propositionibus quarum subiectum non est commune multis inferioribus, facile potest negatione opposita contradictoria assignari, veluti, *Petrus currit, Petrus non currit*, seu *Non Petrus currit*, sumpta particulâ non pro negatione non infinitante, sed negante. *Omnes Apostoli Dei sunt duodecim*; *Omnes Apostoli Dei non sunt duodecim*, subiectum enim huius propositionis supponit collectivè, & singulos Apostolos continet tanquam partes illud integrantes, & non tanquam inferiores sub illo contentos. Eodem modo in propositionibus causalibus, & conditionalibus assignanda est propositio contradictoria, si *homo currit mouetur*, *Non si homo currit mouetur*, quia *homo currit mouetur*: *Non quia homo currit mouetur*. Id enim quod conditionalis affirmat non est predicatum absolute existere, sed est connexio aut dependentia, quæ esset inter existentiam prædicati & conditionem, casu quo hæc poneretur, & in casuali non vtrumque affirmatur existentia prædicati, sed quasi virtualiter supponitur, & affirmatur causam illius existentie illud esse, quod particulâ quia afficitur, & ob hanc rationem doctè dixit Toletus propositiones has quantitatem non habere, hoc est vniuersales non esse.

## PUNCTUM VI.

Nonnullæ propositiones contradictoriæ ex difficultatibus assignantur, ut doctrina tradita circa illarum oppositionem magis innotescat.

**P**AUCIS hic ad praxim reducam omnia, quæ tradidi Punct. 3. de quantitate propositionum, & de signis illam indicantibus; simulque ex difficultatibus propositionibus se opponentibus contradictoriæ pro recentium Summularum solatio nonnullas explicabo.

Hinc propositioni *equus requiritur ad equitandum*, contradictoriæ opposita responderet, *equus non requiritur ad equitandum*, ex his prior est vera, & posterior est falsa, & vtriusque subiectum disiungendum est sub eodem prædicato in eadem propositione, quia illius suppositio neque est distributiua, neque determinata, sed confusa, ab his distincta, iuxta supra dicta. Si verò inquiratur de contradictoria huius propositionis *Nihil equus requiritur ad equitandum*, hæc erit reddenda: *Aliquis equus requiritur ad equitandum*, quarum affirmatiua particularis est falsa, & vniuersalis negatiua vera, quia etsi verum sit non posse equitari sine equo, & equum requiri ad equitandum, falsum est dicere aliquem determinatè requiri; verè enim dicimus *hic equus non requiritur*, & *hic equus non requiritur*, & in cæteris simili modo, ex quibus legitime inferitur ergo nullus equus requiritur, ex vi cuius propositionis non negatur requiri equum, quod esset falsum, sed requiri aliquem determinatè, quod est verum; & consequenter falsum aliquem requiri: quia per hanc particularem propositionem non solum dicitur equum requiri, sed requiri equum determinatum, ita ut possit assignari vnus equus determinatus, respectu cuius verificetur illa propositio, sicuti potest assignari vnus homo falsus distinctus à reliquis, respectu cuius verificetur hæc propositio, *aliquis homo est albus*.

Propositio hæc, cuiuslibet hominis aliquis equus currit, cum hac contradictoriæ opponitur, *alicuius hominis nullus equus currit*. Si verò inquiras contradictoriam huius, *Nullius hominis aliquis equus currit*, hanc reddam: *alicuius hominis aliquis equus currit*. Ratio disparitatis propter quam in prioribus propositionibus signo *aliquis* contradictoriæ signum *nullus* opponitur, & in posterioribus inuariatus relinquitur, est quia in prioribus signum cuiuslibet non afficit terminum *aliquis equus*, & ita illum disiunctiue, seu particulariter supponentem relinquit, in posterioribus verò signum *nullus* terminum *aliquis equus* afficit, illudque negat, distributiueque supponere facit ut dicebâ Punct. 3. Propter eandem rationem huic propositioni *semper homo currit* pro contradictoria est assignanda *aliquando nullus homo currit*: huic verò *Nunquam homo currit*. Terminus enim *semper* non distribuit terminum *homo* & ita in altera propositione distribuendus est. Signum verò *nunquam* terminum *homo* distribuit, illiusque copulam negat, & ita in propositione contradictoriæ opposita, terminus non est distribuendus, sed disiungendus, & copula non neganda, sed affirmanda. Propter eandem rationem huic propositioni *Matriti & Romæ piper venditur*, hanc reddes contradictoriam *Matriti, vel Romæ nullum venditur piper*. Huic autem *Neque Matriti, neque Romæ piper venditur*, hanc oppones *Matriti vel Romæ piper venditur*. Veritas & falsitas harum propositionum dependet ex modo quo res se habere supponitur, sub nulla autem suppositione non inuolente contradictionem vtramque veram, aut vtramque falsam inuenies, sed semper in vna veritatem, & in altera falsitatem agnoscas, si vtramque attentè inspicias.

Hæc propositio *Petrus legit*, & *Ioannes non audit*, cum hac contradictoriæ opponitur *Petrus non legit vel Ioannes audit*, particulâ enim & propositionem coniunctiuam veluti vniuersalem constituit, ut dicebam Punct. 3. Idem illi opponenda est particulâ *vel* quæ particularem propositionem constituit ut ibidem tradidi. Si in propositione coniunctiua terminus aliquis vniuersalis constituitur, in contradictoria particularis est efficiendus, eademque ratione, si particulari opponatur vniuersalis in contradictoria reddi debet. Exemplum accipe in hac propositione *Omnis homo currit*, & *aliquis equus est albus*, cuius contradictoria est *aliquis homo non currit, vel nullus equus est albus*.

Affirmo insuper contra Arriagam has propositiones *Petrus distat à me*, *Petrus non distat à me*, habere strictissimam oppositionem; eandemque in his reperiri, *Hæc Chimæra distat à me*, *Hæc Chimæra non distat à me*, quia sunt affirmatio & negatio eiusdem de eodem; ex hisque posterioribus affirmatiua est falsa, & negatiua vera; vtrique enim est de subiecto non supponente, propositio autem negatiua de subiecto non supponente in materia contingentia vera est. Insuper Chimæra quæ non est, non potest esse distans; ergo non est distans, seu est non distans, quia vt ipse Arriaga testatur in *Met. diff. 1. sect. 3. subiect. 2.* ex duobus prædicatis contradictoriæ oppositis enicunque subiecto illorum alterum necessarîo conuenire debet, & ideo eo ipso quod hæc propositio sit falsa, *Chimæra legit*, verum est dicere *Chimæra non legit*, seu *Chimæra est non legens*, quod exemplum adducit Arriaga loco citato. Neque cum dicimus *Petrus non distat à me*, seu *Chimæra non distat à me*, est idem dicere *Petrus est iuxta me*, aut *Chimæra est iuxta me*, in hoc enim sensu vtrique propositio supra assignata esset falsa, *Chimæra* enim, aut *Petrus* non existens in rerum natura neque à me distat, neque est prope me; aliud enim est non distare ab aliquo, aliud esse iuxta illud; primum tantum importat negationem præsentie in spatio remoto, secundum importat præsentiam positiuam in spatio proximo. Fateor vulgari loquendi modo non rarè per non distantiam, approximationem explicari, & tunc hæc propositio *Chimæra non distat à me*, hunc habebit sensum: *Chimæra habet præsentiam*, & illam habet prope me, quæ propositio falsa est, & hæc illi contradictoriæ opponitur. *Chimæra non habet præsentiam, vel si illam habet, non eam habet prope me*.

Solent nonnulli supponere omnem propositionem esse falsam, & postea sic arguunt. Hæc propositiones *omnis propositio est falsa*, & *aliqua propositio non est falsa*, sunt contradictoriæ; singularis negatiua ex suppositione facta falsa est, vt per se notum est; affirmatiua vniuersalis similiter est falsa, quia est propositio; & supponimus omnem propositionem esse falsam; ergo dantur duæ contradicto-



ria simul falsa. Non grauabor concedere duplicem contradictoriam falsam ex suppositione, quod omnes propositiones sint falsae, quia ille, qui supponit omnes propositiones esse falsas, supponit ipsas contradictorias falsas esse, ac proinde quando infert, ergo dantur duae contradictoriae simul falsae, id tanquam absurdum infert, quod ipse supponit, quod est ex natura rei absurdum sit, non absurdè conceditur ex suppositione facta. Alij respondent suppositionem esse intelligendam demptā illā propositione *omnis suppositio est falsa*, verumtamen suppositio debet intelligi eo modo, quo fieri vult à supponente, & cum possit illam facere supra propositionem assignatam, & supra omnem prolatam, & proferendam, non est cur praedicta suppositio à suppositione extrahatur. Præterea non hac ratione vitatur absurdum, quod intenditur, videlicet ne detur duplex suppositio contradictoria simul falsa, quia licet non darentur simul falsae propositiones supra assignatae, aliae innumerae ex praedicta suppositione darentur, veluti *Petrus currit* & *Petrus non currit*, & reliquae omnes distinctae à propositionibus in quibus facta fuit obiectio.

Difficilius est assignare contradictoriam huius propositionis *Omnes homines sunt albi*, quam nonnulli hanc esse putant *Aliquis homo non est albus*, decipiuntur verò, quia hæc suppositio, *Omnes homines sunt albi*, distincta est ab hac *Omnis homo est albus*: ergo distincta suppositio contradictoria illi debet respondere: Sed hæc suppositio, *Aliquis homo non est albus*, contradictoriè opponitur cum ista, *Omnis homo est albus*: Ergo non cum illa, *Omnes homines sunt albi*. Secundò arguo viginti: facta suppositione vnum tantum hominem existere in rerum natura, & hunc esse album, hæc suppositio: *Omnes homines sunt albi*, est falsa, quia est affirmatiua de subiecto non supponenti. Similiter hæc est falsa, *aliquis homo non est albus*, quia vnus homo, qui existit albus est, & non datur alius non albus de quo possit suppositio verificari: ergo si hæc propositiones *Omnes homines sunt albi*, & *aliquis homo non est albus*, sunt contradictoriae, datur duplex contradictoria simul falsa. Neque potes in suppositione vitium reperire, quia est de re nemine contradicente, neque hac suppositione facta potes assignare aliam propositionem contradictoriè oppositam priori vniuersali, quia propositiones, quae semel sunt contradictoriae, sub quacumque suppositione semper sunt contradictoriae, & semper vni veritatem, & alteri falsitatem conuenire necesse est: hoc enim tantum præstare potest suppositio, vt suppositio quae sub hac suppositione erat vera, & contradictoriam falsam habebat, sub alia suppositione fiat falsa, & veram habeat contradictoriam. Quapropter ad assignandam contradictoriam cuiusque propositionis impertinens est præmittere suppositionem circa existentiam obiectorum, hæc enim tantum requiritur ad cognoscendum, cui propositionum contradictoriarum veritas, & cui falsitas conueniat.

Alij tutius asserunt huic propositioni: *Omnes homines sunt albi*, non aliam posse assignari præter hanc *Non omnes homines sunt albi*. Quod si ab his petas contradictoriam huius propositionis, *Aliqui homines non sunt albi*, hanc & non aliam reddent *Non aliqui homines non sunt albi*, neque aliam vellent huic aequipollentem assignari. Hic dicendi modus non ad veritatem explicandam, sed ad difficultatem fugiendam arripitur, hancque patitur impugnationem: *non aliquis homo non currit*, æquiualeat huic *Omnis homo currit*: Ergo *Non aliqui homines non currunt*, æquiualeat huic *Omnes homines currunt*. Sed prior illa est contradictoria huius *Aliqui homines non currunt*: ergo & hæc posterior *omnes homines currunt*.

Censio propter rationem immediatè dictam has propositiones, *Omnes homines currunt*, *aliqui homines non currunt*, contradictoriè inter se opponi. Sed contra hunc dicendi modum sic obiciet: Dantur quatuor homines quorum tres currant, & vnus non currat, hac suppositione facta, hæc suppositio, *omnes homines currunt*, est falsa; similiter altera, *aliqui homines non currunt* est falsa, quia non dantur aliqui homines non currentes, sed vnus tantum est, qui non currat: ergo datur duplex contradictoria simul falsa. Respondeo prædicta suppositione facta, hanc propositionem *Aliqui homines non currunt* veram esse, quia de binario facto, ex vno homine non currente, & altero currente, verum est dicere non currere, cum enim dico: *hi homines non currunt*, terminus *hi homines* resoluendus non est, hic homo non currit, & hic homo non currit, sic enim falsa esset

suppositio, sed semper debet indiuisibiliter supponere pro utroque homine simul sumpto, ita vt sensus propositionis sit, duo hi homines non currunt, quod altero non currente verum est. Ratio est quia hi termini numeri pluralis *Omnes homines currunt* vltimò resoluuntur in hæc inferiora, hi homines currunt, & hi homines currunt, &c. Seu hi homines non currunt, & hi homines non currunt, &c. quin postea terminus *hi homines* iterum resoluatur, sed semper indiuisibiliter supponat, vt dicebam Punct. 3.

Propositiones hæc, *Petrus qui loquitur ambulat*, & *Petrus qui loquitur non ambulat*, legitimam habent contradictoriam oppositionem, etsi in neutra negetur copula *loquitur*, quia hæc non est præcipua copula propositionis, sed *ambulat*, quæ in priori affirmat, & in posteriori negat. Nec copula minus præcipua in ordine ad affirmationem, & negationem variandam habenda est ratio, hunc enim sensum reddunt prædictae propositiones, & huic similem aliae similes. *Petrus loquens ambulat*, *Petrus loquens non ambulat*. Inquires ex suppositione quid *Petrus* taceat, & ambulet, cui propositionum veritas, & cui falsitas adapteretur. Respondeo prædicta suppositione facta hanc propositionem *Petrus qui loquitur ambulat*, seu *Petrus loquens ambulat*, esse falsam, quia est de subiecto non supponente, subiectum enim non sumitur pro Petro præcisè secundum se, sed pro Petro loquente, qui *Petrus loquens* non datur, cum *Petrus* qui existit sit tacens, & non loquens. Ob hanc rationem altera suppositio *Petrus qui loquitur*, seu *Petrus loquens non ambulat* vera est, suppositio enim negatiua de subiecto non supponente veritatem habet.

*Neuter homo currit*, cum hac contradictoriè opponitur *Alter homo currit*. Similiter *uterque homo currit* contradictoriè cum ista opponitur *Alter homo non currit*. Attendè tamen inspicere debet horum terminorum distributio ad veritatem, vel falsitatem harum propositionum assignandam, ne ita assignetur, vt duplex contradictoria simul vera, vel simul falsa reperitur. Decipieris nunquam si hæc obserues, quotiescumque dantur duo indiuidua de quibus possit affirmari prædicatum, etsi dantur alia innumera de quibus dici non possit suppositio vniuersalis affirmatiua vera erit. Similiter quotiescumque dantur duo indiuidua, de quibus possit negari prædicatum quantumvis dentur alia innumera, quibus non conueniat, vniuersalis negatiua vera erit. Inuerso ordine quotiescumque dantur duo indiuidua, de quibus possit negari prædicatum, etsi plura alia dentur de quibus possit affirmari, particularis affirmatiua erit falsa. Similiter quotiescumque dantur duo indiuidua de quibus possit affirmari prædicatum, etsi alia plura dentur, de quibus possit negari, particularis negatiua falsa erit. Rem declare exemplum, assignatis his contradictoriis *Neuter homo currit*, *Alter homo currit*: suppono ex hominibus existentibus duos tantum non currere, & reliquos alios currere. In hoc casu suppositio vniuersalis negatiua erit vera, & particularis affirmatiua erit falsa. Vtrumque faciliè agnosces, si horum terminorum resolutionem memineris, quam Punct. 3. exposui. Vniuersalis negatiua sic resoluatur: Horum duorum neque iste, neque iste currit, vel horum duorum neque iste, neque iste currit, &c. ex quo fit vt dum primum peruenierit suppositio ad duos homines, quos non currere supposuimus, tota verificetur, quia de illis verum est dicere neque iste, neque iste currit. Particularis affirmatiua sic resoluatur: Horum duorum iste, vel iste currit, & horum duorum iste, vel iste currit, & horum duorum, &c. ex quo fit vt cum perueniatur ad duos homines non currentes propositionis falsa reperitur, quia illis assignatis verum non erit dicere, & horum duorum iste vel iste currit.

Simili modo contingit in his propositionibus *Uterque homo currit*: *Alter homo non currit*, ex suppositione enim, quod duo homines currant, & reliqui omnes sedent, vniuersalis suppositio vera est, quia facta hac suppositione, verum est dicere, horum duorum iste, & iste currit, vel horum duorum iste, & iste currit, in quem descensum prædicta suppositio vniuersalis affirmatiua resoluatur. Particularis verò affirmatiua falsa est, cuius hæc est resolutio, horum duorum, iste vel iste non currit, & horum duorum iste vel iste non currit, cuius descensus falsitas deprehenditur cum assignantur duo homines, quos currere supposuimus.

Requiritur ergo ad hoc vt hæc suppositio sit vera *Alter homo currit*, vt ultra vnum, quem currere, aut non currere nihil refert, reliqui omnes currant, & ad hoc vt hæc *Alter homo*



homo non currit, ut ultra unum, quem currere, aut non currere ad rem non facit, reliqui omnes non currant. Ad veritatem verò huius *utrumque homo currit*, sufficit dari duos homines currentes, quidquid sit de aliis, & ad veritatem huius *Neuter homo currit* duo homines non currentes sufficiunt quidquid de aliorum cursu, seu non cursu contingat. De oppositione propositionum Modalium exclusuarum, & exceptinarum dicam Punct. 8. & 10.

PUNCTUM VII.

De Equipollentia & Conuersione propositionum.

**1** *E*quipollentia est duarum propositionum utroque extremo, eodem ordine participantium vis eadem à variis signis proveniens. Unde propositiones equipollentes mutuo se inferunt, & indifferenter possumus ista vel altera uti, quia utraque propositio equipollens eandem propter significationem habet, eisdemque conceptui formali correspondet & tantum in propositione vocali ex diversitate dictionum idem obiectum eodem modo significantium contingit.

**2** Hæc propositionum equipollentia fit in propositionibus contradictoriis negatione præposita alteri earum. Exempli gratia, propositiones illæ contradictoriæ opponuntur, *Omnis homo est albus*, *Aliquis homo non est albus*. Cuiusque illarum negationem præponas, fiet alteri æquipollens, idem enim est dicere, *Non omnis homo est albus*, ac dicere, *Aliquis homo non est albus*, & idem sonat, *Non aliquis homo non est albus* ac *Omnis homo est albus*. In propositionibus contrariis fit æquipollentia postposita negatione propositionis subiecto, v.g. in his propositionibus contrariis, *Omnis homo est albus*, *Nullus homo est albus*, æquipollentia reperietur, si subiecto cuiuscumque illarum negationem postponas. Si enim dixeris: *Omnis homo non est albus*, idem erit ac dicere *Nullus homo est albus*, & si dixeris *Nullus homo non est albus*, idem erit ac si diceres *Omnis homo est albus*. In subalternis fit æquipollentia; quadam negatione præposita, & altera postposita eidem subiecto. Itaque si subiecto vnius propositionis ex his: *Omnis homo currit*, & *aliquis homo currit*, quæ subalternæ sunt, negationem præponas, & postponas, propositio, quæ tali subiecto gaudet, fiet alteri æquipollens, idem enim valet. *Non omnis homo non currit*, ac *aliquis homo currit*, & idem significat *Non aliquis homo non currit*, ac *Omnis homo currit*. In subalternis negatiuis vniuersalis potest fieri æquipollens particulari secundum præscriptam regulam, particularis verò non potest fieri æquipollens vniuersali per negationes illi superadditas, quia cum post subiectum habeat negationem, non, non potest ibidem altera addi: exempli gratia subalternæ negatiuæ sunt hæc *Nullus homo currit*, *aliquis homo non currit*, possumus dicere *Non nullus homo non currit*, & facere subalternantem æquipollentem subalternatæ inuariatæ, non tamen possumus dicere, *Non aliquis homo non currit*, ut subalternata fiat æquipollens subalternatæ inuariatæ, quia duplex illa negatio coniungi nequit.

**3** Prædictæ regulæ solent hoc versiculo significari, ut facilis memorie mandentur:

*Præ contradic. Post contra. Præ pōstque subalter.*

Hoc est contradictoriis præponenda est negatio; contrariis postponenda; præponenda, & postponenda subalternis. Inuenta est hæc propositionum æquipollentia ut obscuræ propositiones in clariore resoluantur, ut plurimum autem deservit ut clare resoluantur in obscuriores terminorum multiplicatione.

**4** Conuersio est duarum propositionum vnius ad alteram per extremorum transpositionem consequentia necessaria. Ex his propositio antecedens dicitur conuertens, & consequens conuersa appellatur. Conuersio est triplex: quædam simplex; alia per accidens; alia per contrapositionem. Conuersio simplex est illa, quæ fit per transmutationem terminorum seruata eadem propositionis quantitate. Hac ratione conuertuntur vniuersalis negatiua, & particularis affirmatiua, recte enim inferitur *Nullus homo est lapis*: ergo *nullus lapis est homo*, in qua illatione tantum fit terminorum transmutatio. Similiter recte arguitur *Aliquis homo est animal*: ergo *aliquid animal est homo*, in qua illatione tantum fit transmutatio terminorum sicuti in precedenti.

Conuersio per accidens est illa, in qua non solum ter-

mini transmutantur, sed etiam mutatur quantitas propositionis, & ex vniuersali fit particularis. Fit hæc conuersio in propositione vniuersali affirmatiua, & negatiua. Valet enim, *Omnis homo est animal*: ergo *aliquid animal est homo*. Similiter tenet consequentia, *Nullus homo est equus*: ergo *aliquis equus non est homo*, in quibus propositionibus fit terminorum transmutatio, & mutatur quantitas propositionum, siquidem ex vniuersalibus particulares deducimus.

Conuersio per contrapositionem fit, quando seruata quantitate propositionis extrema transmutantur, & ex finitis fiunt infinita per negationes infinitantes illis appositæ. Hac ratione conuertuntur vniuersalis affirmatiua, & particularis negatiua, valet enim *Omnis homo est animal*: ergo *omne non animal est non homo*: Item, *Aliquis homo non est animal*: ergo *aliquid non animal non est homo*, in quibus illationibus seruatur quantitas propositionum, & termini negationibus infinitantibus affecti transmutantur.

Circa hanc conuersionem obseruandum est, in conuersione affirmatiua debere supponi constantiam subiecti propositionis conuersæ, si enim hoc non subsistat, propositio erit falsa. Patet in his propositionibus *Omnis homo est ens*: ergo *omne non ens est non homo*, quarum prior est vera, & posterior falsa, quia illius subiectum videlicet *non ens* non subsistit, & ita de illo non potest aliquid affirmatiue prædicari, prædicatur autem in prædicta propositione esse *non homo*, hoc est esse aliquid distinctum ab homine quod est falsum. In conuersione verò negatiua, ut veritas conuersæ subsistat, supponenda est constantia subiecti conuertentis, alioquin conuersa falsa erit, exempli gratia, *Antichristus non est bonus*, est propositio vera, quia etiam si subiectum non subsistat est negatiua, & propositio de subiecto non supponenti negatiua vera est. Si tamen inferas: ergo *aliquid non bonum non est non Antichristus*, propositio erit falsa, quia subiectum *non bonum* supponit pro non bonis existentibus, omnia autem non bona, quæ de facto existunt, sunt *non Antichristus*, seu distincta ab Antichristo, & ita de nullo illorum potest negari esse *non Antichristus*. Si autem Antichristus existeret, propositio esset vera, quia aliquid non bonum videlicet ipse Antichristus, non esset *non Antichristus*, seu non esset distinctus ab Antichristo, & ita respectu illius verificaretur hæc propositio, *Aliquid non bonum non est non Antichristus*.

**6** Est etiam obseruandum in his conuersionibus, ut apponatur integrum prædicatum ex parte subiecti quando fit transmutatio, quapropter si expressum non sit, exprimendum est, exempli gratia, si conuertenda sit hæc propositio *Aliquis homo currit velociter*, prædicatum currens in verbo imbibitum exprimendum est, dicendumque: ergo *aliquid currens velociter est homo*. Similiter cum dicitur *Nullus homo est omnis homo*, inferendum est: ergo *nihil quod sit omnis homo est homo*, pror enim propositio hunc sensum efficit. *Nullus homo est aliquid, quod sit omnis homo*, seruanda est etiam eadem suppositio ex defectu cuius hæc propositiones non conuertuntur, neque se inferunt *Homo est species*: ergo *species est homo*. Retinenda est insuper eadem ampliatio, ex defectu cuius hæc propositiones non conuertuntur, *Senex fuit iuuenis*: ergo *iuuenis fuit senex*. Sed debet aliquid assumi ad seruanda meandem ampliationem, quod fiet, si inferatur *Senex fuit iuuenis*: ergo *ille qui fuit iuuenis, est, vel fuit senex*.

**7** Ex his conuersionibus conuersio simplex, & conuersio facta per accidens vtilissima sunt ad syllogismorum reductionem; conuersio verò per contrapositionem omnino est inutilis, nihil enim explicat sed potius multitudine negationum rem confundit.

**8** Ut facile conuersionis regulas retineas, suppone tibi litteram *A* significare propositionem vniuersalem affirmatiuam; litteram *E* substitui ad significandam propositionem vniuersalem negatiuam; litteram *I* uti ad particularem affirmatiuam significandam, & litteram *O* substitui loco particularis negatiuæ, quod oportet etiam obseruari ad syllogismorum structuram cognoscendam, & his carminibus facile significatur:

*Afferit A, negat E, sunt vniuersaliter ambo.*

*Afferit I, negat O, sunt particulariter ambo.*

Deinde ut scias quæ propositiones simpliciter, quæ per accidens, quæ per contrapositionem conuertuntur, hæc carmina memoriæ retine:

*Simpliciter*



*Simpliciter Feci, conuertitur Eua per accidens  
Alto per contra, sic fit conuersio tota.*

Hoc est, propositiones respondentes E, & I, contentis in hac dictione *Feci* conuertuntur simpliciter; respondentes E, & A, in hac dictione *Eua* appositis conuertuntur per accidens; respondentes verò A, & O, quibus constat hæc dictio *Alto* conuertuntur per contrapositionem.

## PUNCTVM VIII.

## De propositionibus Modalibus.

**M**odus secundum totam suam significationem extenditur ad quamque termini limitationem, seu restrictionem, quæ frequenter fit adiectiuo substantiuo adiuncto, veluti *homo iustus*. Propriè etiam aduerbiis significatur, quibus modus, quo res fit, significatur, veluti cum dicimus *Petrus currit velociter*, *Ioannes doctè arguitur*. In præsentem autem sumitur pro modo, qui prædicatum ad certam, & specialem materiam determinat. Materiam propositionum triplicem esse, videlicet necessariam, seu naturalem; remotam, seu impossibilem; & contingentem ostendi Punct. 2. Ex his materiis triplex resultat modus, *necessarius, impossibilis, & contingens*. His quartus additur videlicet *possibilis*, qui parum differt à contingentem, quia contingens hic sumitur pro eo, quod potest accidere, etiam si necessaribz existat, non pro illo quod potest esse, & non esse, quod specialiter contingens dicitur. Modi isti dupliciter possunt significari; per aduerbium, veluti cum dicimus *Petrus contingenter currit*, & per nomen adiectiuum, quo significatur in hac propositione, *contingens est Petrum currere*. Cum per aduerbium significatur, idem manet subiectum & prædicatum propositionis, & tantum modificat connexionem prædicati cum subiecto. Cum fit per nomen adiectiuum tota inuertitur propositio, & illa, quæ includebat subiectum & prædicatum, fit subiectum, de quo modus prædicatur, veluti cum dicimus, *Petrum currere est contingens*, *Petrum currere* est subiectum propositionis, de quo prædicatur illud extremum *contingens*.

Modalis, sicuti quælibet alia propositio, duplex est, quedam de sensu composito, alia de sensu diuiso. Modalis de sensu composito est illa, cuius extrema modo affecta componi possunt, seu inter se coexistere, veluti cum dicimus *hominem esse album possibile est*, rectè enim albedo cum homine componitur, idemque subiectum potest simul esse album, & esse hominem. Modalis de sensu diuiso est illa, quorum extrema modo affecta non possunt connecti, sed ad diuersa tempora debent referri, vt veritas propositionis subsistat, veluti cum dicimus *Iustum peccare possibile est*, quæ facit hunc sensum, possibile est hominem iustum in hoc tempore, peccare tempore sequenti. Vterque modus contingit in propositionibus de modo aduerbiali, seu adiectiuo.

Potest etiam modus significatus nomine, vel aduerbio poni inter extrema, quæ afficit, veluti cum dicimus, *Iustum possibile est peccare*, vel potest præponi aut postponi, veluti cum dicimus, *Iustum peccare possibile est*, aut *possibile est Iustum peccare*. Sunt nonnulli, qui asserant modum interpositum indicare sensum diuisum inter extrema modo affecta, & postpositum, vel præpositum sensum compositum arguere, hoc tamen gratis & absque vilo fundamento dicitur, sensus enim diuisus, & compositus in propositionibus modalibus, sicuti in quibuscumque aliis ex natura extremorum illorum compossibilitate, aut incompossibilitate inferendus est.

In propositionibus cuius modus nomine adiectiuo significatur reperitur dictum & modus. Modus dicitur prædicatum afficiens alia extrema, & dictum appellatur complexum illud, quod modo afficitur, veluti cum dicimus, *Petrum currere est possibile*, dictum propositionis appellatur illud complexum *Petrum currere*, & Modus dicitur aliud extremum videlicet *possibile*. In his propositionibus potest dictum, & modus affirmatiue significari, veluti cum dicimus *Petrum currere est possibile*. Potest etiam dictum affirmari, & negari modus, vt cum dicimus *Petrum currere non est possibile*. Potest etiam dictum negari, & modus affirmari, veluti cum dicimus *Petrum non currere est possibile*.

Possunt etiam negari dictum, & modus, veluti cum dicimus *Petrum non currere non est possibile*. Quadruplex hæc differentia affirmationis & negationis reperitur in quocumque ex quatuor modis assignatis *possibile, contingens, impossibile, & necesse*. Ex quo fit in omnibus modis simul sumptis sex supra decem propositiones fieri posse, quatuor in vnoquoque illorum, negationibus, & affirmationibus variatis. Significantur hæc omnes propositiones totidem vocalibus in his dictionibus reperiis, **AMABIMVS: EDENTVLI: ILIACE: PURPUREA**. Harum literarum significationis ordo hic est: in quacumque dictione quatuor vocales reperiuntur, quarum prima significat propositionem de modo possibili, secunda de contingentem, tertia de impossibili, quarta de necesse. Itaque quacumque propositio de possibili quomodocumque fit affirmata, vel negata, significanda est aliqua primâ vocali vnus dictionis ex his quatuor, & sic quacumque de contingentem aliqua secundâ vocali; & quacumque de necesse quartâ aliqua vocali vnus dictionis ex quatuor adductis. Insuper nota vocales in his dictionibus contentas tantum esse A, E, I, V: Harum A significat propositionem, in qua neque dictum, neque modus negatur. E significat propositionem, in qua negatur dictum, & non modus. I significat propositionem, in qua negatur modus, & non dictum. V significat propositionem, in qua vtrumque negatur, quæ hoc versiculo breuiter significantur:

*E dictum negat: Ique modum: nihil A: sed V totum.*

Iuxta hanc regulam facile erit quacumque propositionem ad aliquam ex his litteris reducere: si enim est de possibili, querenda est in aliqua initiali. Postea videndum est quid habeat affirmatum, & quid negatum. Si dictum & modus affirmatiue significantur, debet correspondere litteræ A; aliâs debet esse initialis, quia est de modo possibili: respondebit ergo litteræ A huius dictionis *Amabimus*, in nullâ enim aliâ reperitur initialis A. Si dictum habeat negatum, & non modum, veluti in hac propositione *Petrum non currere est possibile*, debet respondere litteræ E, initiali alicuius dictionis ex dictis, quæ tantum reperitur in hac dictione *Edentuli*. Si modum habeat negatum & non dictum, veluti cum dicimus *Petrum currere non est possibile*, debet respondere initiali I, quæ tantum reperitur in hac dictione *Iliace*. Si vtrumque habeat negatum, veluti cum dicimus, *Petrum non currere non est possibile*, respondebit V initiali, quæ tantum reperitur in hac dictione *Purpurea*. Sic de omnibus aliis modis; propositio enim de *Necesse* dicto & modo negato respondet vltimæ litteræ huius dictionis *Amabimus*, quæ est V totum negans: De modo negato, litteræ vltimæ dictionis *Edentuli*, quæ est I modum negans: De dicto negato, vltimæ litteræ huius dictionis *Iliace* quæ est E dictum negans: De dicto & modo affirmato, vltimæ litteræ huius dictionis *Purpurea*, quæ est A nihil negans. Sic in aliis duobus modis, nullam enim propositionem compones de modo possibili, quæ non reperitur in aliqua prima vocali harum dictionum; neque de contingentem, quæ non fit in aliqua secunda vocali; neque de impossibili, quæ non inueniatur in tertia aliqua vocali; neque de necesse quæ non aliqua quartâ vocali significetur, iuxta significationem harum literarum, quam exprimit versiculus ille:

*E dictum negat: Ique modum: nihil A: sed V totum.*

Tota hæc doctrina de correspondentia propositionum prædictis dictionibus facillimè percipi potest, quæ si semel mente teneatur, verbo vno poterit æquipollentia, & oppositio omnium Modalium significari. Subscribo singulas dictiones, cum propositionibus illarum litteris respondentibus, vt facilius tota hæc doctrina memorie mandetur, & semel mandata haud facillè decidat.

## AMABIMVS.

A- Petrum currere est possibile.  
ma- Petrum currere est contingens.  
bi- Petrum currere non est impossibile.  
mus. Petrum currere non est necesse.

EDEN



EDENTVLI.

- E. Petrum non currere est possibile.  
den. Petrum non currere est contingens.  
ru. Petrum non currere non est impossibile.  
li. Petrum currere non est necesse.

ILIACE.

- I. Petrum currere non est possibile.  
li. Petrum currere non est contingens.  
a. Petrum currere est impossibile.  
ce. Petrum non currere est necesse.

PVRPVREA.

- Pur. Petrum non currere non est possibile.  
pu. Petrum non currere non est contingens.  
re. Petrum non currere est impossibile.  
a. Petrum currere est necesse.

- 8 In his propositionibus inuenies quemcumque ex his terminis valeas excogitare, semperque videbis propositionem respondentem litteræ A, dicto & modo affirmato; & litteræ E, dicto tantum negato; & litteræ I, negato tantum modo; & litteræ V, modo & dicto negato.

PUNCTVM IX.

De qualitate, & quantitate Modalium.

- 1 Propositionis modalis non dicitur affirmatiua aut negatiua ex eo quod affirmetur, vel negetur dictum, sed ex eo quod affirmetur, vel negetur modus, quapropter hæc propositio erit affirmatiua *Petrum non currere est possibile*, & hæc negatiua *Petrum currere non est possibile*, licet hæc dictum affirmatum habeat, & illa negatum. Ratio est facilis, quia propositionem esse affirmatiuam, aut negatiuam sumitur ex negatione, aut affirmatione afficiente præcipuam copulam; cum verò præcipua copula propositionis modalis non sit illa, quæ in dicto includitur, quia totum hoc se habet tanquam subiectum, sed quæ annectit dictum ut subiectum cum modo tanquam cum prædicato; hinc fit ut quando hæc copula affirmatur, ex vi cuius modus est affirmatus, propositio sit affirmatiua, & quando talis copula negatur, ex vi cuius modus est negatus, propositionem esse negatiuam. Modum esse affirmatum, & negatum ex vi negationis aut affirmationis in præcipua copula reperta per se patet, quia non ex alio capite propositio hæc *Petrum non currere est possibile*, est de modo affirmato, nisi quia copula est affirmatiue ponitur: & non alia ratione hæc est de dicto negato, *Petrum currere non est possibile*, nisi quia copula est afficitur negatione.

- 2 Circa veritatem, & falsitatem harum propositionum Modalium vix potest aliquid præscribi, quod commune non sit omnibus propositionibus, illa enim est propositio vera, quæ enunciat rem sicuti est, & illa est falsa, quæ rem aliter ac est significat, quod omnibus propositionibus commune est. Hæc tamen regulæ solent pro his modalibus assignari. Propositio de necesse est vera, quando illius de *in esse*, importat veritatem necessariam, hoc est, cuius dictum reducitur ad propositionem necessariam, verbi gratia *necesse est hominem esse animal*, vera est propositio, quia illius dictum reducitur ad hanc propositionem *homo est animal*, quæ necessariam continet veritatem. Eadem ratione propositio de impossibili est vera, quando illius de *in esse* est impossibilis, veluti *impossibile est hominem esse equum*, est vera propositio, quia hæc propositio *homo est equus* impossibilis est. Similiter propositio de possibili, & contingenti vera est, quando illius de *in esse* non repugnat, etiam si veritatem habeat, vel de facto falsa sit, dum potuerit antecedenter veritatem habere. Hæc per se nota sunt, & non maiori examine digna.

- 3 Notat etiam Tolerus huiusmodi propositiones modales semper habere veritatem, aut falsitatem necessariam, ita ut illa quæ de facto est vera, nullo modo potuerit

Franc. de Quiedo, Philosoph. Tom. I.

rit esse falsa: neque illa quæ modò falsa est, aliquando potuerit habere veritatem. Vnde etiam propositio sit de modo contingenti, connexio huiusmodi contingentis cum subiecto, vel necessaria est, vel impossibilis, quia id, quod est possibile, seu contingens repugnat non esse tale, & impossibile fieri nequit; similiter id quod est impossibile, aut necessarium, ita est impossibile, ut etiam in sensu diuino illi repugnet possibilitas, aut defectus necessitatis: hæc omnia ita se habent respectu necessitatis, impossibilitatis, possibilitatis, aut contingentie physice: solemus autem his modis non necessitatem, impossibilitatem, aut contingentiam physicam intelligere; illa enim necessaria vocamus, quæ non sine magna difficultate, aut graui incommodo possunt non esse, quo sensu dicimus, necessarium est te Romam petere, quia Superioris præceptum, amicorum preces, & negotiorum status sic expolunt. Similiter impossibilia dicimus illa, quæ non sine ingenti difficultate, aut graui incommodo fiunt; & contingentia appellamus illa, quæ sine graui difficultate secundum statum rerum possunt accidere. Si hac ratione prædicti modi sumantur, propositio modalis accidentaliter poterit esse vera vel falsa, huiusmodi enim necessitas, impossibilitas, & contingentia, ita accidunt, ut potuerint non accidere.

Inest etiam sua quantitas propositionibus modalibus, quæ ex duplici capite potest desumi. Ex dicto, quia hoc in se continet signum vniuersale, veluti cum dicimus, omnem hominem currere est possibile: vel ex modo, qui hic est vniuersalis. Modi vniuersales dicuntur impossibile, & necesse; contingens verò, & possibile particulares dicuntur. Propositiones, quæ dicto, & modo vniuersali gaudent, simpliciter vniuersales dicuntur; quæ dicto & modo particulari afficiuntur absolute particulares vocantur. Mixte dici possunt, quæ dictum habent vniuersale, & modum particularem. Nihilominus præcipua ratio ab omnibus habetur circa quantitatem modi, & quidquid sit de quantitate dicti, propositio illa vniuersalis appellatur, cuius modus vniuersalis est, illaque particularis nuncupatur, quæ signo particulari est contenta. Ratio propter quam in his propositionibus ratio non habeatur de quantitate dicti est, quia signum vniuersale in dicto contentum non immediatè afficit totum subiectum, cum enim dicimus, omnem hominem currere est possibile, signum omne immediatè tantum afficit terminum *homo*, qui non est adequatum subiectum huius propositionis, hoc enim est totum hoc complexum, omnem hominem currere, sicuti totum hoc complexum, *Omnis homo est animal*, est subiectum huius enunciationis, *Omnis homo est animal est propositio*. Ratio propter quam metiamur quantitatem harum propositionum per signa est quia ratione horum, quædam continentur sub aliis, & contentæ sunt particulares, & continentes vniuersales, sicuti in his propositionibus, *Omnis homo est animal*, *Aliquis homo est animal*. Prior est vniuersalis, quia posteriorem in se continet, valet enim: *Omnis homo est animal*: ergo aliquis homo est animal; & posterior particularis, quia sub alia continetur, & tantum ad quandam veluti partem illius se extendit.

Ob hanc rationem necesse, & impossibile dicuntur modi vniuersales, quia sub se continent possibile, seu contingens, & possibile non, seu contingens non: Valet enim consequentia: Necesse est Petrum currere: ergo possibile seu contingens est Petrum currere; non tamen à contrario. Similiter valet: Impossibile est Petrum currere: ergo possibile est Petrum non currere, non tamen licet inferre: Possibile est Petrum non currere: ergo impossibile est Petrum currere. Indicat etiam hanc vniuersalitatem horum modorum necesse & impossibile, illorum æquipollentia, æquipollent enim eo modo, quo alia contraria *omnis & nullus* postposita negatione, idem enim valet, necesse est Petrum non currere; ac impossibile est Petrum currere, & idem sonat, impossibile est Petrum non currere; ac necesse est Petrum currere. Æquipollentiæ, necesse & possibile more subalternorum proposita & postposita negatione, idem enim significat, non necesse est Petrum non currere, ac, possibile est Petrum currere. Eadem ratione æquipollent impossibile, & possibile non, quia idem valet non impossibile est Petrum non currere, ac possibile est Petrum non currere. Impossibile, cum possibili & necesse, cum possibili non, negatione præposita æquipollent, quia ratione æquipollent signa propositiones, quæ oppositionem contradietoriam habent. Ex his enim propositionibus, impossibile


C est



est Petrum currere, Possibile est Petrum currere; cuiusque negationem præponas, alteri æquiualebit, sicuti in his cõtingit: Necessè est Petrum currere: Possibile est Petrum non currere: idem enim valet, Non possibile est Petrum non currere, ac dicere, Necessè est Petrum currere. Aduerte in ordine ad æquipollentiam harum propositionum negationem postpositam modo vocari illam, quæ in dicto includitur, siue dictum postponatur, siue præponatur, quia id quod præstat negatio non postposita termino *Omnis*, aut *Nullus*, aut *Aliquis* respectu horum signorum, præstat inclusa in dicto respectu horum modorum *Necessè*, &c.

6 Addit Hurtadus *disp. 4. sect. 11. ex Patre Fonseca lib. 3. cap. 10.* hos modos *Necessè* & *impossibile* esse vniuersales, quia se extendunt ad omnia tempora; & hunc modum, *Possibile*, esse particularem, quia rem esse possibilem, non dicit esse possibilem in omni tempore, sed tempore importato per copulam, in quo differt à modo impossibili, qui cum negatiuus sit, negat possibilitatem pro omni tempore. Doctrinam hanc non probo, quia *Necessè* tantum se extendit ad omne tempus ratione materie, quia id quod modò est necessarium ex natura sua, semper est necessarium, quâ ratione *Possibile* etiam se extendit ad omne tempus, implicat enim rem modò possibilem, fieri impossibilem tempore venturo. Ratione autem formæ *Necessè* tantum dicit tempus importatum per copulam, quia si per impossibile crastina die fieret non necessarium, hominem esse animal,

ex eo quod hodie esset necessarium, hodiè verè diceretur, Necessè est hominem esse animal. Idem censeo de impossibili, quod tantum ratione materie se extendit ad omne tempus, si enim chimæra modò repugnans, crastina die possibilis esset futura, verè hodie dici posset, chimæra est impossibilis, quod enim terminus impossibilis sit negatiuus, probat negare omnem possibilitatem, non tamen ratione formæ illam negat pro omni tempore, sicuti cum negamus Petrum currere, negamus Petro omnem cursum, non tamen pro omni tempore. Vnum in hac re verum est ex hac propositione, necesse est Petrum currere, legitime inferri: ergo semper currit; & ex hac propositione, Impossibile est Petrum currere, legitime deduci: ergo nunquam currit: ex hac autem, possibile est Petrum currere non posse adhuc inferri: ergo aliquando currit. Sed hoc non probat terminum *Possibile* restringere suum significatum respectu temporis ad quod se extendat *Possibile*, aut *Necessè*, quia significatum huius propositionis, Possibile est Petrum currere, non est Petrum actu currere, sed non repugnare cursum Petri, quod pro omni tempore verum est. Standum ergo est rationibus, quas adduxi propter quas *Necessè*, & *Impossibile* modi vniuersales dicuntur, & *Possibile* seu *Contingens* modus particularis appellatur. Vt autem faciliè percipias totam doctrinam traditam de vniuersalitate, & oppositionem horum modorum, illam tibi subscripta figura præsentabit.



Notare etiam oportet, quòd sicut signa *Omnis* & *Nullus*, quæ ex se sunt vniuersalia, si negatione afficiantur, fiunt particularia; & hoc signum *Aliquis*, qui ex se est particularis, si negetur fit vniuersalis; sic hi modi, *Necessè*, & *Impossibile* ex se vniuersales, si negetur fiunt particulares, & hic modus possibilis si negetur vniuersalis fiet. Ex hoc inferes ex illis dictionibus infra adductis, *Amabimus*, *Edentuli*, *Place*, *Purpurea*, illas continere modos vniuersales & consequenter propositiones vniuersales, in quibus negantur modus *possibilis* & *contingens*, & affirmantur modus *impossibile*, & *Necessè*, huiusmodi sunt *Place*, & *Purpurea*: illas verò continere propositiones particulares, in quibus affirmantur *Possibile*, & *contingens*, & negantur, *impossibile*, & *Necessè*, huiusmodi sunt *Amabimus*, & *Edentuli*.

#### PUNCTUM X.

##### De æquipollentia & oppositione modalium.

1 Svpposita iam doctrinâ traditâ harum propositionum æquipollentia, & oppositio facillimè explicatur. Propositiones omnes modales quæ sunt in eadem dictione ex quatuor annumeratis sunt sibi æquipollentes. Rem inspicere in propositionibus respondentibus huic dictioni *Amabimus*: Petrum currere est possibile: Petrum currere est contingens: Petrum currere non est impossibile: Petrum non currere non est necessè. Has sibi æquipollere patet ex terminis, esse enim possibile, & esse contingens, idem est; deinde non esse impossibile idem est ac esse possibile, & non esse necessè non currere, idem est ac esse possibile currere: si enim non esset possibile currere, non currere

necessè esset. Idem ratione simili inuenies in omnibus dictionibus, si illas percurras. Si autem petas regulam aliquam ad cognoscendam propositionum modalium æquipollentiam, hanc tibi accipe: Quælibet propositio modalis, in quocumque modo sit, habet sibi tres alias æquipollentes in tribus aliis modis. Propositio de modo possibili, dicto, & modo affirmato, habet æquipollentem de contingenti, dicto & modo affirmato; de impossibili, dicto affirmato & modo negato; de necessè, negato dicto & modo. Reperies has propositiones in hac dictione *Amabimus*. Propositio de possibili, dicto negato, & modo affirmato, habet æquipollentem de contingenti, dicto negato, & modo affirmato; de impossibili, dicto, & modo negato; de necessè, dicto affirmato, & modo negato. Reperiuntur hæ propositiones in *Edentuli*. Propositio de possibili, dicto affirmato, & modo negato, habet sibi æquipollentem de contingenti, dicto affirmato & modo negato; de impossibili, modo & dicto affirmato; de necessè, dicto negato & modo affirmato. Sunt huiusmodi propositiones sibi æquipollentes in *Place*. Propositio de possibili, dicto & modo negato, habet æquipollentem de contingenti, dicto & modo negato; de impossibili, dicto negato & modo affirmato; de necessè, dicto & modo affirmato. Hæ propositiones respondent dictioni *Purpurea*.


2 Assignaui æquipollentes in reliquis aliis modis quatuor propositionibus differentibus, quæ de possibili possunt reperiri, quibus cognitis facile tibi erit assignare æquipollentes alias propositionibus respondentibus aliis modis, iuxta prædictas dictiones, in quibus agnosces, quomodo dictum & modus debeant affirmari, aut negari, ut propositioni de hoc modo necessè aut impossibili aliorum



aliorum modorum propositiones fiant æquipollentes.

Vnum tamen obseruandum est in propositionibus de dicto communi, vt si tribus prioribus modis *Possibile*, *Contingens*, *impossibile*, dictum fuerit affectum signo vniuersali, in propositione de *neceffe* afficiatur signo particulari, & si in prioribus fuerit affectum signo particulari, in posteriori, videlicet *Neceffe*, afficiatur signo vniuersali, alias propositiones non erunt æquipollentes. Exemplum accipe in his propositionibus factis in *Purpurea*. Nullum animal esse hominem non est possibile. Nullum animal esse hominem non est contingens. Nullum animal esse hominem est impossibile, quæ propositiones sunt sibi æquipollentes & veræ; si verò secundum regulam generalem illi adiungas quartam de *neceffe* respondentem litteræ *A*, dicto & modo affirmato, & inuariato communi signo, videlicet, Omne animal esse hominem est *neceffe*, propositio hæc falsa erit, & non poterit tribus aliis veris æquipollere: variandum ergo est signum; & dicendum, Aliquod animal esse hominem est *neceffe*, quæ propositio æquipollens est tribus aliis prioribus. Similiter si propositiones fiant in tribus prioribus modis de dicto signo particulari affecto, vt facta in quarto modo eiusdem dictionis sit æquipollens, variandum est signum particulare in vniuersale. Rem cape in propositionibus eidem dictioni *Purpurea* respondentibus. Aliquod animal non esse hominem non est possibile: non est *neceffe*; est impossibile: quæ propositiones falsæ sunt, si verò quartam addas de eodem dicto particulari, verbi gratia, Aliquod animal esse hominem est *neceffe*, erit vera, & non poterit falsis aliis æquipollere, mutandum ergo est signum particulare in commune, & tribus prioribus hæc adiungenda, Omne animal esse hominem est *neceffe*, & hac ratione propositiones omnes falsæ erunt & sibi æquipollentes.

Circa oppositionem harum propositionum dico breui-



Circa oppositionem modalium de modo aduerbiali, nihil peculiare notatu dignum occurrit, aduerbia enim quibus hi modi significantur, eandem habent oppositionem, quam nomina, quibus correspondent; eadem enim est oppositio contradictoria inter *Impossibiliter*, & *Possibiliter*, ac inter *Impossibile*, & *Possibile*, & sic de quibuscumque aliis. Neque alio modo nos debemus gerere in assignanda contradictoria, aut contraria alicui propositioni de modo aduerbiali, ac nos habemus respectu aliarum propositionum, in quibus aliud aduerbium reperitur, eodem enim modo opponuntur, Petrus currit velociter; & Petrus non currit velociter, ac opponuntur Petrus necessario currit; Petrus non necessario currit. Eandemque oppositionem habent hæ propositiones, Nullus homo velociter

Franc. de Quiedo, Philosoph. Tom. I.

ter propositiones factas in *Iliace*, & *Purpurea* esse sibi contrarias, quia sunt vniuersales, vt dicebam puncto precedenti, in fine, & quia dictum quod vna negat, affirmat altera, & quia quælibet infert tanquam sibi subalternatam contradictoriam alterius, quod proprium est contrariarum. Dicendum est secundo propositiones factas in *Iliace* opponi contradictoriè cum propositionibus factis in *Amabimus*; quia propositiones factæ in *Iliace* sunt vniuersales, & factæ in *Amabimus* particulares, iuxta dicta loco citato, & quia modus qui in vna negatur, in altera affirmatur. Propositiones factæ in *Iliace* subalternant sibi propositiones factas in *Edentuli*, quia hæ sunt particulares, & ex illis vniuersalibus inferuntur. Propter eandem rationem propositiones factæ in *Purpurea* sibi subalternant factas in *Amabimus*. Propositiones factæ in *Amabimus* & *Edentuli* subcontrariæ sunt, quia duabus contrariis subalternantur. Ex hoc inferes quamlibet propositionem de possibili, & sic de quocumque alio modo habere contradictoriam de possibili, & triplicem aliam in tribus aliis modis æquipollentem contradictoriæ propriæ de possibili. Sed te aduertere oportet cum contradictoriam non in proprio modo assignes, sed in alio æquipollente, si illorum aliquis sit *Neceffe*, & dictum propositionis, cui est contradictoria assignanda, sit signo vniuersali affectum, quomodo tale signum sit variandum, vt propositiones sibi æquipollant, iuxta dicta supra de æquipollentia propositionum de dicto communi. Eadem ratione quælibet propositio modalis ea ratione quâ oppositionem habet contrariam, subcontrariam, aut subalternam, habet quatuor propositiones oppositas, vnam in eodem in quo ipsa est, & tres alias huic æquipollentes in tribus aliis modis. Totam doctrinam traditam circa oppositionem harum propositionum hac figurâ expressam spectato, vt illam faciliè mente teneas.

currit, & Omnis homo velociter currit, ac istæ, Nullus homo necessario currit, Omnis homo necessario currit. Notauit pro omnibus propositionibus, in quibus reperitur aliquod aduerbium, negationem debere cadere supra illud, quando propositio est negatiua, quod pro his aduerbiis modalibus plurimum obseruari refert.

#### PUNCTUM XI.

De propositionibus exclusiuis, & exceptiuis.

Sunt aliquæ propositiones, quæ ob aliquem terminum vel signum plures sub se continent, in quas debent resolui



resolui vt facilius percipi valeant. In his sunt propositiones exclusiue, in quibus reperitur aliquod nomen vel aduerbium excludens omne illud, quod distinguitur à termino supra quem cadunt. Huiusmodi sunt *nomen solus*, & aduerbium *tantum*, cum enim dicitur, *solus homo currit*, aut, *tantum homo currit*, excluditur à cursu totum illud, quod ab homine distinguitur.

2 Huiusmodi signa exclusiua, vel possunt poni ex parte subiecti, vel ex parte prædicati; possumus enim dicere, elementa tantum sunt quatuor, aut, elementa sunt quatuor tantum, quæ propositiones diuersum reddunt sensum; prior enim est falsa, & posterior vera, vt constabit ex resolutione vtriusque. Quando signum se tenet ex parte prædicati; si propositio sit affirmatiua, resoluenda est in duas propositiones coniunctas particulâ &, quarum prima contineat secluso signo illam, quæ resoluatur; & posterior negatiua sit constans eodem subiecto, quo prior, & prædicato opposito prædicato prioris. Exempli gratia, *homo est rationalis tantum* sic resoluatur, homo est rationalis & homo non est aliquid distinctum à rationali. Elementa sunt quatuor tantum, hoc est, elementa sunt quatuor & non sunt quinque, neque sex, &c. hoc est, non attingunt alium numerum excedentem. Si propositio sit negatiua, resoluenda est in disiunctiuam, cuius prior pars sit propositio resoluenda signo secluso; & posterior sit propositio affirmatiua cum eodem subiecto & prædicato opposito prædicato prioris. Exempli gratia, *homo non est rationalis tantum*. Ita resoluatur, homo non est Rationalis, vel est aliquid distinctum à rationali, hoc est, vel supra rationale includit aliquid. In his propositionibus optimè contradictoria assignatur negatione præposita, aut facta resolutione modo explicato, quibus postea eadem ratione ac aliis coniunctiuis, aut disiunctiuis oppositio assignabitur.

3 Quando signum se tenet ex parte prædicati, quatuor modis fieri potest propositio. Primò cum affirmatione signi & copulæ, vt *homo tantum est rationalis*. Secundo cum negatione signi & affirmatione copulæ; vt, *non tantum homo est rationalis*. Tertio cum affirmatione signi, & negatione copulæ, vt *homo tantum non est rationalis*. Quarto cum negatione signi & copulæ, vt *non tantum homo non est rationalis*. Propositiones in quibus signum est affirmatum resoluuntur in propositionem coniunctiuam & in quibus est negatum, in disiunctiuam. Ex quo fit propositiones de signo affirmato esse vniuersales, & de signo negato dici particulares, iuxta dicta de propositione coniunctiua & disiunctiua. Propositio de vtroque affirmato resoluatur in coniunctiuam, cuius prior pars est propositio resoluenda ablato signo, & posterior vniuersalis negatiua ex eodem prædicato, & subiecto opposito subiecto prioris. Veluti, *Homo tantum est rationalis*, ita resoluenda est, Homo est rationalis, & nihil distinctum ab homine est rationale. Propositio de modo negato & copula affirmata resoluenda est in disiunctiuam cum partibus contradicentibus partibus prioris, veluti cum dicimus, *Non tantum homo est animal*, resolutio sic facienda est, Nullus homo est animal, vel aliquid distinctum ab homine est animal. Propositio de modo affirmato & copula negata resoluenda in præiacentem, hoc est, in propositionem resoluendam ablato signo, & in vniuersalem affirmatiuam cum eodem prædicato, & subiecto opposito subiecto prioris coniunctione interpositâ, veluti cum dicimus, *homo tantum non rationalis*, sic fiet resolutio, homo non est rationalis, & omne non homo seu distinctum ab homine est rationale. Propositio de vtroque negato resoluatur in disiunctiuam ex partibus contradictoriis præcedenti, veluti, *non tantum homo non est rationalis* Nullus homo est rationalis, vel aliquid distinctum ab homine non est rationale.

4 Ex his propositionibus prima cum secunda & tertia cum quarta opponuntur contradictoriè: prima cum tertia contrariè; secunda cum quarta subcontrariè; prima cum quarta, & tertia cum secunda subalternè. Propositiones has, illarumque oppositionem his dictionibus explicuit Toletus. *Iste, Regit, Proram, Clano*: quarum prima dictio respondet primæ propositioni, secunda secundæ, & sic alie. Harumque litteræ significationem habent, quam in modalibus explicuimus, quibus expriment propositiones illas, in quas resoluenda est propositio cui responderet, cum hac tamen distinctione vt ex propositionibus significatis primâ & tertiâ dictione fiat propositio coniunctiua.

& ex significatis secunda, & quartâ disiunctiua componatur. Dictio prima cum secunda, & tertia cum quarta contradictoriè opponuntur. Prima cum tertia contrariè. Secunda cum quarta subcontrariè. Prima cum quarta & tertia cum secunda subalternè.

Obiicit nonnullus: si hæc propositio *non tantum homo est rationalis* sic resoluatur, nullus homo est rationalis, vel aliquid distinctum ab homine est rationale, sequitur hæc propositionem esse veram, *non tantum Deus est peccator*, quia illius sensus erit Deus non est peccator, vel aliquid distinctum à Deo est peccator, quæ disiunctiua vera est. Respondeo prædictam propositionem *non tantum Deus est peccator*, nullatenus esse proferendam, quia vulgo huiusmodi propositiones non sumuntur in sua stricta significatione, & apud imperitos idem est dicere, *non tantum homo currit* ac dicere, homo currit & aliud ab homine currit, licet verus & strictus sensus iste non sit, sed ille, quem supra explicui; deinde etiam nonnulli ex peritioribus stare nolunt expositioni, quam de his propositionibus tradidimus, apud quos omnes graue scandalum gigneret prædicta propositio, licet iuxta resolutionem factam in prædictam disiunctiuam vera sit. In huiusmodi autem grauissimis rebus, quæ ad Deum & ad fidem spectant, proferenda propositiones non sunt, quæ iuxta vulgarem sensum prauam significationem habent, etiam si apud doctos sanum sensum obtineant; & multò minus ille, de quibus etiam apud doctos est controuersia, an falsam contineant doctrinam etiam si nonnulli illas subtiliter iuxta strictam ipsarum significationem in bonum sensum interpretentur.

Præter has propositiones exclusiuas, aliæ exceptiue reperiuntur, in quibus signum aliquid exceptionis apponitur, veluti cum dicitur *Omne animal currit præter equum*, in quibus obseruandum est vt terminus exceptus contineatur in illo, à quo excipitur, non enim rectè dicemus, *Omne animal præter signum currit*, aut, *Omne animal præter visibile currit*. Hæc propositio quadrupliciter fieri potest. Primò cum affirmatione modi & copulæ. Secundo cum affirmatione copulæ, & negatione modi. Tertio cum affirmatione modi & copulæ negatione. Quarto cum negatione vtriusque. Si propositio sit facta primo modo, resoluenda est in coniunctiuam, quarum prior pars sit propositio præiacens additâ subiecto distinctione à termino excepto, & posterior vniuersalis negatiua, cuius subiectum sit terminus exceptus, & prædicatum idem cum prædicato prioris. Exempli gratia *Omne animal præter equum currit*, sic resoluenda est, Omne animal distinctum ab equo currit, & nullus equus currit. Si fiat secundo modo, veluti cum dicitur, *Non præter equum omne animal currit*, resoluenda est in disiunctiuam, cuius partes contradictoriè opponantur partibus propositionis iam resolute primo modo factæ. Si propositio fiat tertio modo resoluenda est in propositionem coniunctiuam, cuius prior pars sit propositio præiacens additâ ex parte subiecti distinctione termini excepti, & posterior vniuersalis affirmatiua, cuius subiectum sit terminus exceptus, & prædicatum idem cum prædicato primæ propositionis. Exempli gratia, *Nullum animal præter hominem currit*, sic resolui debet, Nullum animal distinctum ab homine currit, & omnis homo currit. Si propositio fiat quarto modo, resoluenda est in disiunctiuam, cuius partes contradictoriè opponantur partibus præcedentis. Ex his propositionibus prima cum secunda, & tertia cum quarta contradictoriè opponuntur. Prima & tertia contrariè. Secunda & quarta subcontrariè. Prima cum quarta, & tertia cum secunda, subalternè. Huiusmodi propositiones, illarumque oppositionem his dictionibus explicat Toletus: *Date, Prompti, Penam, Pigro*, quæ eodem ordine, quo scribuntur respondent quatuor propositionibus supra adductis, eundemque oppositionis ordinem ferunt, quem nuper retulimus in propositionibus: binæque vocales ipsarum significant duplicem propositionem, in quam resoluatur propositio exceptiua, cum hac tamen differentia, quod propositiones primæ & tertiæ dictionis quandam coniunctiuam componant, ex propositionibus secundæ

& quartæ disiunctiua efficiatur propositio.

\* \* \*

CONTRO



# CONTROVERSIA IV.

## De structura syllogistica.

### PUNCTUM I.

Quibus principiis innitatur syllogistica constructio.

**I**s syllogistica talis est, ut ea quis teneatur, premis-  
sis semel concessis consequentiam inuitabiliter ad-  
mittere, & verum esse consequens fateri. De hac vi  
syllogistica rogamus modo, cui innitatur principio, quod-  
ve illius sit fundamentum.

Dicendum est vim syllogisticam inniti huic principio,  
*Quae sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se.* Probatur con-  
clusio ex modo, quo termini disponendi sunt in syllogis-  
mo, quem Punct. 3. explicabo, hic enim talis est, ut prius  
extremitates, quas in consequenti coniungit, in premis-  
sis cum alio tertio, cum medio videlicet coniunxerit, ita  
ut ex eo inter se conueniant per identitatem, quia per  
identitatem vni tertio conueniunt, & dum haec identitas  
vni tertio non praecesserit respectu utriusque extremitatis,  
nullo modo liceat inferri extremorum identitas. Secundo  
quia si aliis principiis inniteretur, his esset, *Dici de omni,*  
*Dici de nullo.* hoc est, quidquid affirmatur de superiori, af-  
firmatur de inferiori sub illo contento; & quidquid ne-  
gatur de superiori, negatur de inferiori, quod sub illo con-  
tinetur. Sed haec principia totum suum robur desumunt  
ex alio principio, *Quae sunt eadem vni tertio, sunt eadem in-  
ter se*: ergo huic primo innititur tota forma syllogistica.  
Minorem probo; ideo quidquid praedicatur de superiori,  
praedicatur de inferiori, quia inferius secundum se totum  
identificatur cum superiori, unde cum inferius & ratio  
illa, quae de superiori praedicatur, huic tertio identificetur,  
necessario debent inter se identificari. Vis autem illius  
principij haec est: *Quidquid negatur de superiori, debet negari  
de illo, quod cum ipso est identificatum.* Sed inferius est  
identificatum cum ipso superiori: ergo quidquid negatur  
de superiori debet negari de inferiori.

Confirmatur. Ad hoc ut ex hoc principio, Omnis ho-  
mo est animal, inferatur Petrum esse animal, debet sup-  
poni alia praemissa, Petrus est homo, ex vi cuius Petrus  
identificatur cum homine, cum quo fuit identificatum animal  
in propositione vniuersali: ergo principia vniuer-  
salia, seu vniuersales propositiones non immediate infe-  
runt inferioribus conuenire rationem, quae de illorum sub-  
iecto praedicatur, quovisque haec inferiora cum eodem sub-  
iecto identificata cognoscantur: ergo nihil inferitur ex vi  
horum principiorum sine identitate vni tertio.

Ultimo haec est recta illatio & perfectissimus syllogis-  
mus, Hic homo currit, Petrus est hic homo: ergo Petrus  
currit, in qua partem non habent illa principia, *Dici de  
omni, dici de nullo*: ergo non illis innititur vis argumen-  
tationis, seu syllogismi, sed huic principio, *Quae sunt eadem,*  
&c. quod hic reperitur.

Obiicies: Hoc principium, *Quae sunt eadem,* &c. non  
habet locum in diuinis: ergo non consistit in illo vis  
syllogistica, quae in humanis, & diuinis constans esse de-  
bet. Antecedens probo: Haec propositiones sunt verae,  
Pater est Deus. Filius est Deus, & non licet inferre: ergo  
Pater est Filius: ergo non ea quae identificantur vni  
tertio, identificantur inter se. Respondeo hanc difficulta-  
tem in omnium opinione eundem habere locum, quia in  
creatis syllogismus expositiorius constans terminis singu-  
laribus vim habet, & tantum huic innititur principio.  
Secundo quia, ut dicebam, ideo de inferioribus dicitur,  
quidquid dicitur de superiori, quia inferiora sunt identi-  
ficata cum superiori, in diuinis autem non quidquid dicitur  
de natura diuina, dicitur de Paternitate, aut Filiatione,  
quae cum natura identificantur. Rursus principium  
illud, *Quae sunt eadem vni tertio,* &c. vim habet in diuinis  
respectu predicatorum, quae notionalia non sunt: ergo  
hoc principium ex se fundamentum est formae syllogisti-  
cae. Quod autem in diuinis non possint redargui prin-

Franc. de Cuiedo, Philosoph. Tom. I.

cipia illa, *Dici de omni,* & *Dici de nullo,* ideo est, quia  
in diuinis non est omne, neque nullum, quae dicunt pra-  
dicata vniuersalia, quae in inferiora multiplicentur, na-  
tura autem diuina, est in tribus personis reperiatur, ea-  
dem est in omnibus absque vlla naturarum multiplicatio-  
ne. Cur vero principium hoc, *Quae sunt eadem,* &c. in  
diuinis locum non habeat respectu notionalium tractent  
Theologi, ex quibus nonnulli ad distinctionem rationis;  
alij ad distinctionem virtutalem; alij ad identitatem in-  
adequatam naturae cum quolibet praedicato notionali, si-  
quidem cum aliis etiam identificatur; alij ad nostrum  
conciipiendi modum recurrunt, cui difficultati modo su-  
perfedeo, quia nimis abs re esset in Summulis difficilli-  
mum Trinitatis mysterium explicasse.

### PUNCTUM II.

De eductur nonnulla corollaria ex doctrina tradita.

**E**x dictis primo infero, omnem argumentationem de-  
bere constare tribus propositionibus, & tribus tan-  
tum terminis, quorum duo in duabus prioribus cum ter-  
tio identificentur, ut ex hac identitate, ipsorum identitas  
in conclusione inferatur, totum enim negotium syllogis-  
ticum in eo consistit, ut illa, quae in praemissis cum medio  
identificata significantur, in consequentia inter se identi-  
ficata significantur iuxta principium traditum, *Quae sunt  
eadem,* &c. Hinc fit omnem argumentationem ad syllo-  
gismum reduci; Enthymema enim vim habet ratione  
propositionis alius, quae subicitur, cum enim dicimus,  
*Omnis homo est animal: ergo Petrus est animal,* subintelligi-  
mus minorem propositionem, *Petrus est homo,* quae non  
subintellecta consequentia non esset legitima. Ob hanc  
rationem in mente, in qua nulla potest suppleri propo-  
sitione, nullum datur Enthymema. Similiter cum ab Exem-  
plo arguitur, *Petrus facit hoc: ergo tu poteris facere,* subin-  
telligitur maior propositio: *Quod potest facere Petrus, tu  
poteris facere,* alias vim argumentatio non obtinebit. Di-  
lemma habet duo Enthymemata, quae in mente duo sunt  
integri syllogismi, cum enim dicimus, *Si vacasti litteris, &  
eas non dedicisti, ingenio es hebes,* supponitur maior, *Omnis  
qui vacat litteris, & illas non dedit, ingenio est hebes;* cum  
vero ad aliam partem peruenitur, *si non vacasti litteris, ne-  
gligens es,* subicitur propositio ista: *Qui non vacat litteris  
negligens est.* Similiter in Inductione cum dicimus, *hic ho-  
mo currit, & hic homo currit,* &c. ergo omnis homo currit.  
Subicitur minor: *sed hic homo, & hic homo,* &c. est omnis  
homo.

Infero secundo ex vero nunquam posse falsum inferri.  
Ratio est desumpta ab eodem principio, quia si verum est  
extremitates identificari cum medio, necessum est inter se  
identificari, & ita verum haec de illa necessario praedicabitur.

Infero tertio ex falso posse aliquando verum inferri, quia  
possunt inter se identificari illa, quia alicui tertio non iden-  
tificantur. Sed in hac illatione contingit, *Omnis homo est  
arbor. Platanus est homo, ergo Platanus est arbor,* in qua con-  
sequens ratione materiae verum est, & illatio legitima pro-  
pter dispositionem terminorum, ex vi cuius extremitates  
significantur identificatae cum vno tertio, quod si verum  
esset, non possent inter se non identificari.

Infero quarto ex terminis pure particularibus nihil pos-  
se inferri, quia cum terminus particularis supponere possit  
pro hoc vel pro illo, potest in hac maiori propositione pro  
isto supponere, & in minori pro altero, & ita nulla identi-  
tas vni tertio his propositionibus continebitur. Sic contin-  
git in hoc syllogismo, *Aliquis homo est currens. Petrus est  
aliquis homo: ergo Petrus est currens.* Cuius illatio legiti-  
ma non est, quia aliquis homo qui est currens, non est  
necessario idem cum illo, aliquis homo qui est Petrus, quia  
aliquis homo qui est currens potest esse Ioannes, & aliquis  
homo qui est Petrus, necessario est Petrus. Ob hanc ra-  
tionem medium cuiusque syllogismi, si non sit singulare,  
saltem in vna propositione debet esse distributum.

Infero quinto ex praemissis vniuersalibus propositionem  
vniuersalem semper inferri. Ratio est, quia earum extre-  
mitatum inter se identitas debet inferri, quae in praemis-  
sis vni tertio identificata praecesserunt: ergo si extremita-  
tes, quae praecesserunt identificatae cum medio, fuerunt  
vniuersa

C 3 vniuersa



vnuerſales : earumdem debet identitas inferri, quæ propoſitionem vnuerſalem conſtituet. Licebit tamen ex vnuerſali illata, particularem iterum inferre, quia particularis propoſitio in vnuerſali continetur, valet enim, Omnis homo eſt ſenſitiuus : ergo aliquis homo eſt ſenſitiuus. Ob hanc rationem damandus non eſt, qui loco propoſitionis vnuerſalis particularem inferat, licet non inferat totum id, quod poteſt, quia particulare quod inferat continetur in vnuerſali, quod poterat inferri, & ita quamdam veluti partem conſequentis deducit, & alias omittit : ſic ſecundò quia poteſt præſumi retinere immediatam conſequentiam propoſitionis vnuerſalis, & exprimere mediatam propoſitionis particularis ex vnuerſali deductam.

Sextò infero conſuſionem negatiuam non poſſe inferri ex duabus præmiſſis negatiuis, ſed ex vna affirmatiua, & altera negatiua, affirmatiuamque conſuſionem, non niſi ex duabus præmiſſis affirmatiuis poſſe deduci. Prior pars conſuſionis probatur, quia ex eo quod duæ extremitates alicui tertio non ſunt identificatæ, & de illo poſſint negari, non ſequitur non eſſe inter ſe identificatas. Secundò, quia ad negandum aliquid de hac re, ex eo quod de illa negetur prius, debet hæc res per propoſitionem affirmatiuam ſignificati identificata cum illa. Poſterior pars quidem conſuſionis ſic oſtenditur. Ideo ſignificatur affirmatiuè in conſequentia extremitates inter ſe identificatæ, quia in præmiſſis ſignificatæ præceſſere identificatæ vni tertio : ergo vtræque debuit per affirmationem ſignificari identificata vni tertio, quod dicitur medium : ergo vtræque præmiſſa debuit eſſe affirmatiua, vt ex illis affirmatiuè concludatur.

En quomodo iuxta illud principium, *Quæ ſunt eadem vni tertio, &c.* à priori ratio aſſignetur omnium proprietatum ſyllogiſmi, quæ hoc principio ſecluſo non poterunt peti ex illis, *Dici de omni, Dici de nullo.*

## PUNCTVM III.

## De materia &amp; forma, ſeu figura ſyllogiſtica.

Conſtat ex doctrina tradita ſyllogiſmum tres propoſitiones includere, quarum tertia ex duabus præmiſſis inferitur. Huius materia remota termini erunt, ex quibus propoſitiones efficiuntur ; hæc autem proxima materia ſyllogiſmi ſubſiſtent. Forma ſyllogiſmi eſt ratio illa, propter quam vna propoſitio ex aliis inferitur, ex vi enim huius illationis propoſitiones vnum ſyllogiſmum conſtituere dicuntur. Hæc ratio inferendi eſt diſpoſitio terminorum, quæ ita extremitates diſtribuntur, vt in præmiſſis vni tertio identificentur, ex qua identitate ipſarum identitas inter ſe inferitur in conſequentia : Quapropter ex diuerſa terminorum diſpoſitione, diuerſa forma ſyllogiſtica conſurgit, ex diuerſa autem forma ſyllogiſmum ſpecie diuerſum conſtitui neceſſe eſt.

Hinc colligo triplicem eſſe figuram ſyllogiſticam, & triplicem ſyllogiſmum ſpecie diſtinctum, quia triplici tantùm modo poſſunt inter ſe diſponi termini ſyllogiſmi. Primo modo poteſt eſſe Medium ſubiectum Maioris, & prædicatum Minoris, & hæc diſpoſitio ſyllogiſmum ad primam figuram ſpectantem conſtituit. Secundò, poteſt eſſe Medium prædicatum in vtræque propoſitione, & hæc ratione in ſecunda figura ſyllogiſmus conſtituitur. Tertiò poteſt eſſe Medium ſubiectum vtriuſque propoſitionis, & hoc modo ſit ſyllogiſmus pertinens ad tertiam figuram.

Dices, poſſe alio modo terminos diſponi, ſi Medium fiat prædicatum Maioris, & ſubiectum Minoris. Reſpondeo non ex eo dici propoſitionem maiorem, aut minorem, quòd prius, poſterioriſve proferatur, quia in ſyllogiſmo mentali propoſitiones omnes ſimilim apprehenduntur, ſed illam dici maiorem propoſitionem, in qua Medium eſt ſubiectum, & altera extremitas eſt prædicatum aut ſubiectum vtriuſque, ac proinde implicat in maiori propoſitione Medium eſſe prædicatum, quia ex eo præciſe propoſitio intrinſecè poteſt dici maior, quia in illa Medium ſe habet tanquam ſubiectum, & altera extremitas tanquam prædicatum. In ſecunda autem & tertia figura, in quibus Medium aut eſt prædicatum, aut ſubiectum vtriuſque propoſitionis, nulla propoſitio intrinſecè & ex ſe ma-

ior dici poteſt, neque in ſyllogiſmo mentali maior, aut minor aliquo modo reperitur, ſed tantùm in vocali extrinſecè, & quoad nos, propoſitio, quæ primo loco proferitur Maior dicitur, & quæ poſtteriorem obtinet locum, Minor appellatur.

Iuxta hanc diſpoſitionem terminorum plures ſyllogiſmi conſtrui poſſunt, quos omnes hiſ carminibus Dialectici deſcribant.

*Barbara, Celarent, Darij, Ferio : Baralipton, Celantes, Dabitis, Fapeſmo, Freſoſomorum. Ceſare, Cameſtres, Feſtino, Baroco, Darapti, Felapton, Diſamis, Datifi, Bocardo, Feriſon.*

Pro quorum intelligentia aduerte in hiſ carminibus reperiri hæc vocales, *A, E, I, O*, quibus in ordine ad quantitatem, & qualitatem propoſitionum, ea in eſt ſignificatio, de qua ſæpe mentionem fecimus, quæque illo verſiculo exprimitur :

*Aſſerit A, negat E, ſunt vnuerſaliter ambo, Aſſerit I, negat O, ſunt particulariter ambo.*

Quod ſi in hac diſtione *Freſoſomorum* reperitur littera *V*, ad nihil deſeruit, quia eſt in quarto loco conſtituta tantùm ad carminis ſonum. Semper enim tantum habenda eſt ratio de tribus prioribus vocalibus, quibus tres ſyllogiſmi propoſitiones ſuo ordine reſpondent. Maior primæ litteræ ſecundæ Minor, Conſequentia tertiæ. Deinde nota hiſ quatuor carminibus denotari tres figuras ſyllogiſticas, quas ſupra reſenſimus. Ad primam figuram pertinent nouem priores diſtiones *Barbara* vique ad *Freſoſomorum* incluſiue, quæ habentur duobus prioribus carminibus. Ad ſecundam ſpectant quatuor priores diſtiones tertij carminis, videlicet *Ceſare, Cameſtres, Feſtino, Baroco* : ſex aliæ diſtiones, quæ reſtant, tertiæ figuræ ſyllogiſmos ſignificant.

Ex nouem ſyllogiſmis primæ figuræ quatuor priores perfecti dicuntur, in quibus terminorum diſpoſitio ita Conſequens inferit, & extorquet ex vi illationis, vt ex ipſa terminorum apprehenſione euident ſit conſequentia. Quinque poſteriores, eſſi legitimam habeant conſequentiam, non adeò clare præ oculis monſtrant illationis vim. Horum ſyllogiſmorum differentia ex eo procedit, quòd quatuor priores directè, & quinque poſteriores indirectè concludant. Concludi directè dicitur, cum extremitas, quæ erat prædicatum Maioris ſit prædicatum in Conſequentia, & in eadem ſit ſubiectum extremitas, quæ erat ſubiectum Minoris. Indirectè concludi dicitur, quando extremitas quæ erat prædicatum Maioris ſit ſubiectum in conſequentia, & in eadem vt prædicatum conſtituitur extremitas, quæ Minoris ſuit ſubiectum. Hic modus indirectè concludendi tantum reperitur in quinque poſterioribus ſyllogiſmis primæ figuræ, quatuor enim eiſdem primæ figuræ directè concludunt : & in ſecunda & tertia non poteſt dari conſecluſio indirecta, cum non detur vna extremitas, quæ ſit ſubiectum, & altera quæ ſit prædicatum, ſed vtræque ſubiectum in ſecunda figura, & vtræque prædicatum in tertia figura ſit.

Secundùm hæc regulas facile erit ſyllogiſmum conſtruere in quolibet ex hiſ diſtinctionibus, id præſtabo in tribus diſtinctionibus reſpondentibus tribus figuris, vt horum præceptorum praxim intuearis. Sit primus ſyllogiſmus in *Dabitis* : dictio hæc ad primam figuram pertinet, ideo ſyllogiſmus illi reſpondens, habere debet Medium ſubiectum Maioris, & prædicatum Minoris. Prima littera illius eſt *A*, quæ ſignificat vnuerſalem affirmatiuam, duæ poſteriores ſunt *I, I*, quibus propoſitiones particulares affirmatiuæ debent reſpondere. Pertinet inſuper hæc dictio *Dabitis* ad quinque poſteriores, quæ indirectè concludunt, ideo in Conſequentia debet poni ex parte prædicati extremitas, quæ eſt ſubiectum Minoris, & ex parte ſubiecti altera extremitas, quæ eſt prædicatum Maioris. Quæ omnia ad praxim reducta inuenies in hoc ſyllogiſmo :

*Omnis homo eſt animal :*

*Petrus eſt homo :*

*Ergo aliquod animal eſt Petrus.*

Pertineret hic ſyllogiſmus ad *Darij* ſi directè concluderet, ergo *Petrus eſt animal*. Si ſyllogiſmus faciendus ſit in *Ceſare*, quia dictio hæc pertinet ad ſecundam figuram, Medium



Medium debet esse prædicatum vtriusque præmissæ, & quia prima, & tertia littera sunt *E, E*, Maior & consequentia debent esse vniuersales negatiuæ, Minor verò vniuersalis affirmatiua debet esse significata per secundam litteram *A*, quæ omnia in hoc syllogismo reperies:

Nullus lapis est homo.  
Omne rationale est homo.  
Ergo nullum rationale est lapis.

Si placuerit syllogismum fieri in *Darapti*, quia dictio hæc ad tertiam figuram spectat, Medium debet esse subiectum vtriusque præmissæ: & quia prima, & secunda littera *A, A*, vtrique præmissæ vniuersalis affirmatiua futura est: & quia tertia littera est *I*, consequentia debet importare propositionem particularem affirmatiuam. Harum conditionum hic syllogismus praxis esto:

Omnis homo est animal:  
Omnis homo est rationalis:  
Ergo aliquod rationale est animal.

PUNCTUM IV.

De aliis syllogismis.

**A**ristoteles cap. i. Priorum, agit de syllogismo expositorio, qui à præcedentibus enumeratis differt, quia hic Medium habet singulare, illi verò Medio communi gaudent. Syllogismus, cuius medium est singulare, expositorius dicitur, quia aded clare concludit, vt præ oculis videatur rem exponere, quapropter non abs re ab aliquibus huiusmodi syllogismi demonstrationes sensibiles appellantur. Tota vis huius syllogismi, sicuti & aliorum, ex illo principio, *Quæ sunt eadem vni tertio*, &c. desumitur, & aded est manifesta, quia praxis huius principij in hoc syllogismo clarius cernitur, illa enim quæ cum quodam singulari cognoscuntur identifica, perspicue videntur identificata vni tertio: nihil enim magis est vnum, quàm illud quod singulare est. Possunt huiusmodi syllogismi fieri in prima, secunda, & tertia figura; possunt constare extremitatibus singularibus, aut particularibus, & etiam vniuersalibus, dum Medium semper singulare sit; possunt etiam affirmatiuæ, aut negatiuæ concludere; exempla abundè suppetunt. Syllogismus hic constat extremitatibus particularibus, concludit negatiuè, & ad primam figuram pertinet:

Petrus non est diues:  
Hic homo est Petrus:  
Ergo hic homo non est diues:

Exemplum syllogismi pertinentis ad secundam figuram affirmatiuè concludentis, cum extremitatibus particularibus, subsequens syllogismus esto:

Aliquis homo est Petrus:  
Aliquod album est Petrus:  
Ergo aliquod album est aliquis homo.

Ad tertiam figuram pertinebit hic syllogismus constans extremitatibus vniuersalibus.

Omne astrum efficiens diem est hic Sol:  
Omnis Planeta qui est in quarto celo est hic Sol.  
Ergo omnis Planeta qui est in quarto celo est astrum efficiens diem.

Possunt alij quàm plures syllogismi expositorii in dictionibus suprà assignatis fieri, quorum plures, si placet, videre potes apud P. Fonseca lib. 6. c. 23. & 24. qui abundè & doctè hæc omnia pertractat.

**2** Notare autem oportet in his syllogismis non posse concludi negatiuè, si extremitas se tenens ex parte prædicati in consequentia non sit terminus singularis, sed particularis, hæc enim est mala argumentatio: *Aliquis homo est Petrus: Ioannes non est Petrus: Ergo Ioannes non est aliquis homo.* Ratio est, quia totum id quod negatur in conclusione de aliquo extremitate, debet in præmissis significari identificatum cum Medio, cum quo altera extremitas de qua negatur fuit identificata, quod hic non contingit; cum enim dico in consequentia, *ergo Ioannes non est aliquis homo*, nego de Ioanne omnes homines, quos non identificaueram in præmissis cum Medio, sed vnum tantum, quia vnus identitas sufficit ad veritatem huius propositionis, *aliquis homo est Petrus*, omniumque distinctio requiritur ad veritatem huius: *Ergo Ioannes non est aliquis homo.*

**3** Longam nonnulli disputationem texunt de syllogismis obliquis, hypotheticis, & modalibus, qui tales dicuntur, quia terminis constant in obliquo significatis, & propo-

tionibus hypotheticis aut modalibus componuntur. De his syllogismis nihil peculiare dicendum occurrit, præter illa, quæ de syllogismo in communi dicta sunt, eisdem enim regulis illorum constructio dirigitur. Id autem debet diligenter attendi in his syllogismis, quia in illis maior est occasio terminos multiplicandi, ratione alicuius modi, aut casus obliqui, vt quilibet affectio, quæ semel ponitur in aliquo termino, siue ratione modi, siue ratione casus obliqui, semper eundem terminum comitetur, alias syllogismus quatuor terminis constabit, vt videre est in hoc syllogismo: *Omnis equus Petri currit: Brunelus est equus; ergo Brunelus currit*, quia *equus Petri*, & *equus* sine addito duos efficiunt terminos. Vltimò aduerte, quando Medium in aliqua ex præmissis in obliquo significatur, alteram extremitatem consequentia in obliquo esse ponendam. Exemplum esto: *Omnis homini est equus, Petrus est homo; ergo, Petrus est equus.* Ratio petenda est ex constructione verbi est: cum enim extremitas, & medium se tenent ex parte subiecti cum eodem verbo est eodem modo construui debent; syllogismus enim ille in hunc redit: *Omnis homo habet equum, Petrus est homo; ergo Petrus habet equum.*

PUNCTUM V.

De reductione syllogismorum per ostensionem, & per impossibile.

**E**tsi omnes syllogismi facti in dictionibus suprà relatis *Barbara, Celarent*, &c. legitime concludant, non tamen si quatuor primos excipias, qui perfecti appellantur, aded clarè patet vis illationis in aliis, vt non possit eisdem terminis aliter dispositis per eandem aut æquivalentes propositiones euidentius ostendi. Hoc fit per reductionem cuiuscumque ad vnum ex quatuor prioribus perfectissimis, in quibus aded euidentis est consequentia, vt qui illam neget, amplius redarguendus non sit, sed à litterarum hominum coetu exterminandus. Hæc reductio duplici modo fit: per ostensionem, & per impossibile: dicam modò de reductione facta per ostensionem, posteaquæ ad reductionem per impossibile faciendam deueniam.

Vt artificium huius reductionis agnoscas, nota dictiones omnes in illis carminibus contentas habere vnâ ex his litteris initialem *B, C, D, F*, quæ correspondent initialibus quatuor syllogismorum perfectorum *Barbara, Celarent, Darij, Ferio*, cuius correspondentia significatio hæc est: Syllogismi omnes facti in dictionibus, quarum initialis est *B*, ad *Barbara*; facti in dictionibus, quarum initialis est *C*, ad *Celarent*; facti in dictionibus, quarum initialis est *D*, ad *Darij*; facti in dictionibus, quarum initialis est *F*, ad *Ferio* reducendi sunt. Excipiuntur ab hac regula *Baroco*, & *Bocardo*, quorum syllogismi per ostensionem reduci nequeunt, quia constant duobus particularibus negatiuis, quæ nullâ conuersione fieri possunt vniuersales affirmatiuæ, quibus necessariò debet constare syllogismus factus in *Barbara*, ad quem reducendi essent facti in *Baroco*, & *Bocardo*.

Aduerte secundò in omnibus dictionibus reperiri saltem aliquam litteram ex his *S, P, M*, quarum significatio hæc est: littera *S* significat propositionem significatam per litteram antecedentem, conuertendam esse simpliciter: littera *P* significat conuertendam esse per accidens: littera *M* significat commutandas esse præmissas, & ex maiori faciendam esse minorem, & ex minori maiorem. Quod si hæc omnes litteræ in eadem dictione reperiantur, omnes illarum significationes obseruandæ sunt. Exemplum accipe in *Fapesmo* in quo occurrit praxis omnium præceptorum, quæ circa conuersionem tradidimus.

Omnis homo est animal:  
Nullus equus est homo:  
Ergo aliquod animal non est equus.

Syllogismus hic factus in *Fapesmo* ad *Ferio* reducendus propter litteram *F* initialem. Deinde ex illius minori maior, & ex maiori minor fieri debet, propter litteram *M*, in hac dictione repertam. Insuper propositio, quæ antea erat minor, & maior est constituenda, conuertenda est simpliciter, quia post secundam litteram *E* prædictæ dictionis, quæ littera minor significatur, reperitur *S*. Rursus propositio, quæ antea erat maior, & minor facienda est, per accidens conuerti debet, id enim exposcit littera *P* immediate posita post primam litteram *A*, quæ maior propositio significat



significatur. Consequentia inuariata debet permanere, quia post tertiam vocalem, quā significatur, non alia littera reperitur quæ conuersionem aliquam significet. Horum omnium praxis hæc est. Minor prioris syllogismi hæc erat: *Nullus equus est homo conuersa simpliciter hæc erit, Nullus homo est equus.* Maior prioris syllogismi erat *Omnis homo est animal*, quæ per accidens conuersa hæc erit, *aliquod animal est homo.* Consequentia erat; ergo *aliquod animal non est equus*, hæc inuariata ex propositionibus conuersis posita minori loco maioris, & maiori loco minoris in hoc syllogismo inferitur.

*Nullus homo est equus.*

*Aliquod animal est homo.*

*Ergo aliquod animal non est equus.*

Sic in omnibus aliis syllogismis cuiuscumque figure excepto *Baroco* & *Baroco* reductionem legitimam per ostensionem factam inuenies iuxta prædictas regulas.

Reductio altera per impossibile dicitur, quia ex vi illius trahitur respondens ad duo contradictoria concedenda, quæ simul dari impossibile est. Ad hanc reductionem faciendam sume tibi dictiones has, *Agriebatis, Odiebam, Letare Romanis*, in quibus has tantum vocales reperies *As, Es, Is, Os.* *A* significat figuram *Barbara*; *E* *Celarent*; *I* *Darij*; *O* *Ferio*; cum correspondentia vocalium ad vocales vltimas quatuor dictionum *Barbara, Celarent, Darij, Ferio*, quibus vocalibus consequentia horum syllogismorum significantur. Insuper aduertas in prima dictione reperiri quinque vocales suo ordine significantes quinque syllogismos imperfectos primæ figure, & in secunda reperiri quatuor vocales eodem ordine significantes quatuor syllogismos tertie figure, tandem in duabus vltimis dictionibus sex reperiri cum eodem ordine respondentens sex syllogismos tertie figure. Ex his facile erit deduci ad quem syllogismum ex quatuor perfectis cuilibet ex imperfectis sit reducendus. Exempli gratia, scire vis ad quem modum reducendus sit syllogismus factus in *Camestres*. Primò aduertite ad quam figuram pertineat, & quem locum in illa obtineat, deprehendis pertinere ad secundam figuram, & in hac secundum locum occupare; ex quo inferes huiusmodi syllogismum significari per secundam litteram secundæ dictionis *Odiebam*, quæ est *I*, *Darij* correspondens, ex quo deducis syllogismum factum in *Camestres* ad *Darij* per impossibile esse reducendum, & sic in omnibus aliis iuxta præscriptas regulas.

Acquisita iam notitia modi perfecti ad quem reducendus est quilibet imperfectus syllogismus, hanc regulam desume tibi pro syllogismis imperfectis primæ figure. Negata consequentia, subsume contradictoriam illius, quæ tibi concedenda est, ne negetur duplex propositio contradictoria, hancque Maiorem constitue. & Maiorem syllogismi concessi Minorem effice, exclusâ propositione, quæ antea erat Minor, & inferes legitimè in syllogismo perfecto contradictoriam Minoris exclusâ, & iam concessâ. Exemplum esto syllogismus factus in *Baralipon*:

*Omnis homo est animal.*

*Omnne rationale est homo:*

*Ergo aliquod animal est rationale.*

Quem ita reduces, si maiori, & minori concessâ negetur consequentia:

*Nullum animal est rationale:*

*Omnis homo est animal:*

*Ergo nullus homo est rationalis.*

En syllogismus factum in *Celarent*, quia respondet primæ vocali & primæ dictionis, in quo Maior negari nequit, quia contradictoriè opponitur cum consequentia negata; Minor necessarid est concedenda, quia concessâ fuit in priori syllogismo in quo erat maior. Consequentia est legitima, & non potest non admitti, quā admissâ inferes has propositiones esse simul veras, *Nullus homo est rationalis: Omne rationale est homo.* Priorem esse veram monstrat syllogismus perfectus factus in *Celarent*. Posterior concessâ fuerat in primo syllogismo imperfecto in quo erat minor. His propositionibus ab aduersario admissis negatiuâ simpliciter conuerte, *Nullus rationale est homo, & euinces* has propositiones contrarias esse simul veras, *Nullus rationale est homo: Omne rationale est homo.* ex quibus tandem duplicem contradictoriam deduces inferendo subalternatâ ex

qualibet subalternante contraria: v. g. ex hac propositione, *Omnis homo est animal: Aliquis homo est animal*, & sic tenebitur aduersarius admittere has propositiones esse veras, *Aliquis homo est animal: Nullus homo est animal*; aut. ex negatiuâ vniuersali, *Nullus homo est animal*, subalternatam inferas, *Aliquis homo non est animal*, tenebitur concedere has contradictorias esse simul veras, *Omnis homo est animal: Aliquis homo non est animal.* Concluditur semper in syllogismo perfecto, ad quem fuit facta reductio, propositio aliqua, quæ si contradictoria non est propositionis exclusæ conuersione factâ simpliciter, vel per accidens, inferat duplicem contradictoriam, vel duplicem contrariam, ex quibus duplex contradictoria educatur.

In celantes alio modo reductio facienda est sumptâ minori concessâ loco maioris, & contradictoria consequentia negata pro minori, & inferitur contradictorium maioris exclusæ per conuersionem simpliciter maioris exclusæ, vel consequentia illata. Exemplum accipe in hoc syllogismo: *Nullus homo est lapis, Omne risibile est homo: ergo nullus lapis est risibilis*, qui ex celantes, hoc modo reducitur ad *Darij* iuxta prædictas regulas: *Omnne risibile est homo*; hæc erat minor ex qua facta fuit maior: *Aliquis lapis est risibilis*; hæc est contradictoria consequentia negata, *Ergo aliquis lapis est homo.* Hæc consequentia necessarid debet concedi, quia concludit in *Darij*, maior exclusâ erat, *Nullus homo est lapis*, quæ si conuertatur simpliciter, hanc reddet, *Nullus lapis est homo*, quæ est propositio contradictoria, consequentia illata, videlicet, *Aliquis lapis est homo.* Poterit etiam inuariata permanere maior exclusâ, *Nullus homo est lapis*, & simpliciter in consequentia illata conuerti, & tunc aduersarius trahetur ad has contradictorias, *Nullus homo est lapis, aliquis homo est lapis.*

Syllogismi secundæ figure reducuntur sumptâ contradictoria conclusionis pro minori, inuariatâ maiori, & inferitur contradictorium minoris exclusæ, exempli gratia: *Nullus lapis est animal: Omnis homo est animal: Ergo nullus homo est lapis*, qui syllogismus est in *Cesare*, & ad *Ferio*, iuxta prædictas regulas hoc modo reducitur: *Nullus lapis est animal*, hæc erat maior syllogismi præcedentis, quæ inuariata debebat permanere: *Aliquis homo est lapis*, hæc est contradictoria consequentia negata: *Ergo aliquis homo non est animal*, quæ opponitur contradictoriè minori exclusæ, *Omnis homo est animal.*

Syllogismi tertie figure reducuntur sumpto contradictorio pro maiori, minori inuariatâ, exclusâ maiori, & sic inferitur, in *Darapti* contraria maioris exclusæ, ex qua contradictoria deducitur; in reliquis verbò excepto *Darapti* immediatè inferitur contradictoria maioris exclusæ. Exemplum accipe in *Darapti*: *Omnis homo est animal: Omnis homo est risibilis: ergo aliquod risibile est animal.* Hic syllogismus reducendus est ad *Celarent*, iuxta primam litteram huius particule *Letare*; subsume ergo tibi contradictorium consequentia negata, *Nullum risibile est animal.* Deinde minorem concessâ: *Omnis homo est risibilis*, & legitimè inferes, *Ergo nullus homo est animal*, quæ est contraria maioris exclusæ & iam concessâ. In reliquis inferitur contradictoria maioris exclusæ, vt monstrabit reductio huius syllogismi facti in *Disamis*: *Aliquis homo currit: Omnis homo est risibilis: Ergo aliquis risibilis currit*, qui sic reducitur ad *Celarent*, iuxta prædictas regulas: *Nullum risibile currit: Omnis homo est risibilis: Ergo nullus homo currit.* In quo syllogismo consequens illatum opponitur contradictoriè maiori exclusæ. *Aliquis homo currit.*

*Felapton* à regula tradita excipitur, conuertitur enim sumpto contradictorio consequentia pro maiori, & minori inuariatâ, inferiturque contraria maioris exclusæ: verbi gratia, *Nullus homo est equus: Omnis homo est rationalis: Ergo aliquod rationale non est equus.* Qui syllogismus reducitur ad *Barbara*. *Omnne rationale est equus: Omnis homo est rationalis: Ergo omnis homo est equus.* In quo syllogismo consequens illatum contrariè opponitur cum maiori exclusâ.

Hæc de syllogismorum structura, de his verbò, quæ pertinent ad influxum præmissarum in consequentiam, & de distinctione syllogismi probabilis, & euidens, & de his, quæ ad inferendum consequens prænotanda sunt dicam Controu. 9. Logice, vbi de natura Discursus disputationem instituo.